nium, quo filias elocare poſſet, tres parvulas filias Lucre- A tiam, Helenam, & Lauram, quarto Idus Jun. M.D.LII. in lecto cubantes ex deſperatione interfecit. *Iacobi Rufini carmen.* ☞ *Vide ſuprà §. Falce.*

Hirudinibus.

Hirudines remedii cauſa corpori adhibitæ, aliquando affixa relinquunt capita, quæ cauſa vulnera inſanabilia facit, & multos interemit, ſicut Maſſalinum è conſularibus patriciis, cùm ad genua admiſiſſet. *Plin. lib. 32. c. 10.*

Pharmaco, Clyſmate.

Conradus Imp. Friderici II. F. recepta Neapoli, Manfredi fratris aſtu clyſtere venenato extinctus eſt, an. Sal. 1252. *Ioan. Villanus lib. 6. cap. 45.*

Perſuaſum multi habuerunt, Miſitheum, Gordiani III. Imp. ſocerum, Philippi fraude ſublatum: qui, cùm ægrotaret, parataque eſſet potio à Medicis ad premendam alvum, ſummoto poculo, alteram ſubjecit, quæ multò infeſtius ſolvit. Quo profluvio ſenex brevi extinctus eſt. In cujus locum præfectus exercitui Philippus majori ſcelere & ipſum Gordianum imperatorem circumvenit, & imperium invaſit. B *Sab. lib. 6. En. 6.*

ACUBUS.

Cataphrygæ hæretici ex ſanguine infantis unius anni, acubus confixi, Euchariſtiam conficiebant, & ad ſocios mittebant. Infans ſi moreretur, martyr: ſi ſuperviveret, pro magico habebatur ſacerdote.

Chriſtophorus Goldeiſen Thurnavienſis I. V. Studioſus, cùm incautius tractaret acum, ſiniſtram manum adverſam tam ferali plaga fauciavit, ut ex minutulo vulnere, animi, corporiſque viribus paulatim cedentibus, paucorum dierum ſpatio vitam cum morte commutarit. Contigit id Argentinæ 4. Non. Martii 1601.

FORFICE.

Valterus Epiſcopus Herefordenſis in Anglia, forficibus in gula vulneratus obiit. *Ranulfus lib. 7. cap. 2.*

DISCO LUSORIO.

Perſeus Acriſii Argivorum Regis, & Abantis ex Danae C F. nepos, viſendi avi materni, eumque ſibi conciliandi cupiditate Lariſſam venit, quò Acriſius conceſſerat. Ubi, & ætatis robore, & diſci à ſe inventi gloria elatus, dum artem in conventu hominum oſtentat, Acriſium adverſo fato intervenientem, diſci impetu occidit. *Pauſ. in Corin.*

In inſula Ægina juxta Acaci monumentum Phoci Æaci F. tumulus eſt, incinctus in ambitu crepidine, incumbit aſperum, & rude ſaxum, quo cùm Phocum ad quinquertium fratres invitaſſent, pro diſco uſi ſunt: ac eodem Peleus conſultò, ex matris, novercæ Phoci, inſtinctu, quòd cæteris fratribus à patre præferretur, Phocum, cùm loco ei ſuo lapis eſſet mittendus, dicitur percuſſiſſe, & interfeciſſe. *Pauſ. in Corin.*

CARNIFICUM inſtrumentis. Ut

Spinis, Tribulis.

Schotenſes ſenatores ſpinis, atque tribulis à Gedeone conciſi, eo quòd in perſecutione Madianitarum panem militibus ſuppeditare noluerat. *Jud. c. 8.*

Virgis, Flagellis.

D Stupratores Ocellatum ſororum, item Varonillæ, mox Corneliæ, virginum Veſtalium, virgis in comitio ad necem cæſi ſunt, ſub Domitiano Imp. *Suet.*

L. Canninius ſcriba pontificum, inceſtus Opimiæ, & Floroniæ Veſtalibus virginibus illati convictus, flagris ad internecionem cæſus eſt. *Sab. lib. 2. En. 5. ex Plut. Fabio.*

Aſiaticus quidam legatus Romam miſſus, lectica ferebatur per agrum Venuſinum. Bubulcus quidam per jocum rogavit, Num mortuum in lectica ferrent? Ille ſtatim lecticam deponi, & ſtupis, quibus deligata erat, uſque adeò verberari juſſit, dum animam efflavit. *Gellius lib. 10. c. 3.* ex C. Gracchi oratione recenſet.

Rota.

Ulaſta ſeu Valaſca, Amazonum Boemicarum Dux, equitem Boemorum Stiradium (*Æn. Sylvius* Siradium habet) potione venefica à Sacra puella circumventum proximè arcem Vicegradum rotæ ſupplicio affecit, & radiis rotarum membra innexuit, ut ſupplicii dolor principi Premiſlao increſceret. *Dubravius lib. 3.*

Neomagi apud Geldros quidam mendicus, Juſtus nomine, ut juſta occaſione pecuniam emendicaret largiorem, ante E templi fores decubuit, dæmonii in ſe dominium ſimulans. At ubi in doloſi machinamenti opinionem venit magiſtratus: adhibiti lictores, qui à cœmeterio diſcedenti ſub prandio manus iniicerent. In vinculis igitur artem confeſſus, decimo poſt editum hoc ſpectaculum die, propter latrocinium etiam quater patratum, rotæ impoſitus, horis duabus pòſt deſcendit, eodem tamen repoſitus die, ſtrangulatus eſt. *Vier. l. 3. c. 24. de Præſt. dæm.*

Rodolfus Baro à Vvart, qui in necem Alberti Imp. in trajectu ad Vindoniſſam conſenſerat, à Burgundo quodam Comite, ad quem confugerat, proditus, à Leopoldo Auſtriaco, Alberti F. rotæ ſupplicio Vitoduri affectus eſt, in qua tribus diebus, totidemque noctibus vixit. Uxor magno, & Chriſtiano animo eum conſolabatur. *Stumpfius.*

Huldrico Vvagner cauponi Villiſlovienſi in Helvetia Ægidius Spilman civis Bernenſis loculos ſuos bona fide ſervandos commiſerat. Caupo perfidus apertis loculis ſigillum Ægidii reperit, eoque chirographum Ægidii nomine ſcriptum, magnam pecuniæ vim ſibi à caupone commiſſam in trium te- F ſtium præſentia fatentis, obſignavit. Poſt aliquot annos Ægidius in jus à caupone vocatus, & cùm eo paciſci juſſus vix dum ſolutionis moram ab eo impetravit. Intereà caupo Lucernæ Archigrammatei ancillam, illo abſente, occidere aggreſſus, ictu aberrans, ejuſdemque clamore proditus, & captus, perfidiam ſuam erga Ægidium faſſus, rotæ ſupplicio affectus eſt. *Stumpfius l. 7. Helvet.*

Securi, Gladio.

☞ *Vide Titulum Decollatorum.*

P. Scipio Africanus ſuperior, cupiens M. Catoni conſuli adhuc in Hiſpania agenti obſiſtere, & res Hiſpanicas ſuſcipere, perfecit, ut ſucceſſor in illa provincia Catonis crearetur. Itaque eò profectus accepit provinciam à Catone. Cato autem acceptis peditum quinque cohortibus, & quingentis equitibus, qui deducerent ſe, ſubegit gentem Lacetanorum: à quibus receptos Perfugas ſexcentos ſecuri percuſſit. *Plutarch. in Catone.*

Conſtantinus Scotorum Rex victus ab Hungare Danorum Duce, captuſque, in antro maritimo ſecuri eſt percuſſus. Manſit loco nomen Nigræ ſpecui aliquot exinde annos, nunc G diaboli antrum dicunt, in atrocis facti memoriam. *H. Boethius lib.* 10.

Veru.

Baſſus Epiſcopus à Perennio præſide in eculeo primùm ſuſpenſus, demùm laminis ardentibus circa latera appoſitis excruciatus, fuſtibus, & ſcorpionibus cæſus, in ignem miſſus, duobus poſtremò verubus à talo ad verticem capitis confixus ſpiritum Deo reddidit.

Tauro æneo.

Euſtachius, Dux cum uxore, & liberis ab Adriano Imp. quòd pro victoria ſibi contra Barbaros conceſſa diis ſacrificare noluiſſet, primùm leoni objectus eſt, deinde in æreo tauro combuſtus, illæſis tamen ab igne omnibus partibus corporis *Marul. lib. 5. c. 5. ex Nicepb. lib. 3. c. 29.*

Laqueo.

☞ *Hi propriè Latinis Suſpendioſi dicuntur. Vide Titulum, Suffocatorum laqueo.*

Marſya Satyrus ab Apolline victus, pependit laqueo. *Plin.* H *lib. 16. c. 45. Ovid. in Metamor.*

Leda ob Helenæ filiæ raptum impar dolori, & infamiæ, laqueo ſemetipſam necavit, *βροχῷ ἅψασα εὐγενῆ δέρην.* Sic de illa. *Helena apud Euripid.*

Λήδα δ' ἐν ἀγχόναις
θάνατον ἔλαβον, αἰσχύ-
νασ' ὑμᾶς ἐπ' ἄλγεων.

Leda verò per laqueum mortua eſt, pudore ducta propter nos præ doloribus.

Demetrius Philippi Macedonum Regis F. falſa fratris Perſei apud patrem accuſatione, quaſi defectionem ad Romanos ſpiraret, à Dida, quem ei comitem Perſeus à patre dari anteà curaverat, immiſſis percuſſoribus ſtrangulatus. *P. Ærodius ex Livii Dec. 4. lib. 10.*

Archiadas Cyprum Demetrio Poliorceti proditurus, deprehenſus, & in judicium adductus, fune, de quo aulæa pendebant, ſe ſuſpendit. *Suidas.*

Gordianus ſenior Aphricæ proconſul ab exercitu Africano adverſùs Maximinorum crudelitatem Imp. creatus: cum filio

filio Gordiano contra Capellianum Maximinorum ducem A miſſo, accepiſſet victum, atque cæſum fuiſſe, præ mœroris magnitudine ſe in cubiculo ſuſpendit. *Fulgoſ. lib. 5. c. 7.*

Narſes Eunuchus cùm Sindualdum Regem Herulorum quondam à Rege Theodorico in Subalpinis, victo Rege illorum Odoacre, locatorum, multis, beneficiis affeciſſet, noviſſimè rebellantem, & regnare cupientem bello ſuperavit, & captum è celſa trabe ſuſpendit: eodemque tempore per Dagiſteum magiſtrum militum univerſos Italiæ fines obtinuit. *P. Diac.*

Jarmericus Danorum Rex XL. Teutones captos, applicatis totidem lupis, laqueos adegit. *Saxo Gram. lib. 7.*

Tomumbejus Ægyptius Sultanus à Selimo Turcarum Imp. ſecundo victus, obſoleta indutus veſte, religatis in tergo manibus per omnia Memphitidis urbis fora, & regiones celeberrimas circumductus fuit. Poſteà ad Baſſuellam portam laqueo ei gula fracta eſt, uncoque ferreo ſuprà fornicem ſuſpenſus, ut omnibus conſpectui, & ludibrio foret. *Jovius.*

Enguerranus Morignonus, Comes Longavilleus, Palatii Regii extructionis ſub Philippo Pulcro præfectus, repetun- B darum reus, Ludovici Hutini Regis juſſu ſtrangulatus, effigies ejus à Palatii gradibus dejecta. *Ægid. Corrozet. de Antiq. Pariſienſibus.*

Apud Lituanos in villis hoc præcipuè obſervatur, ſi quis fortè capiti damnatus fuerit, de ſeipſo jubente Domino ſupplicium ſumere, ſuiſque manibus ſe ſuſpendere. Quod ſi recuſaverit, minis, verberibuſque exagitatus cogitur. *Gagnin. in deſcript. Lituaniæ.*

Duringus Comes Boemus contra jus Hoſpitalitatis filium Uratiſlai Bohemorum Ducis patrui ſibi à Grezomiſlao cuſtodiendum traditum decollavit, & caput muneris loco Grezomiſlao Pragæ obtulit, æmulum regni ſe ſuſtuliſſe inquiens. Grezomiſlaus hominis perfidiam deteſtatus genus mortis triplex ei propoſuit, Gladium, Laqueum, Præcipitium. Duringus ex alno vicina ſeſe ſuſpendit, quæ poſteà arbor Duringa dicta eſt. *Æn. Syl. in hiſt. Bohem. & Munſt. in Coſmog.*

Suehla Boemus, cùm ab Matthia Ungarorum Rege defeciſſet, ut tutò Pannoniam popularetur, Coſtolam munitum oppidum occupavit. In ejus arce à Matthia obſeſſus, fame labo- C rans per ſilentium noctis per actuarium pontem clàm elabitur. Rex immiſſo equitatu, eos in fuga cæcidit: Suelha ſolus equo vectus, per ſylvas errans, ut in Moraviam fugeret, in lignatorem incidit, oravitque hunc impenſiùs, ut ſe vitæ aliquantiſper ducem præberet. Cæterum rogatus nomen, cùm Suehlam ſe diceret, lignator exprobratis ipſi agrorum vaſtationibus, & pecorum deprædationibus eum ad Coſtolam captivum duxit. Ubi Matthias duobus crucium ordinibus erectis, eum cum ſociis ſuſpendi juſſit: in inferiori, ducentos quinquaginta: in ſuperiori verò, qui magis erant inſignes: in medio Suehlam: à dextera ſacerdotem ejus: à læva puerum, qui enſem geſtare ſolebat. *Bonfin. lib. 1. Dec. 4.*

Rohacius Huſſitarum unus, fretus propugnaculo arcis, quam ſibi recens in loco munitiſſimo excitaverat (appellavitque montem Sion, quaſi à nullo commoveri poſſet) Sigiſmundum Imper. laceſſere cœpit, conviciis, rapinis, dum in greges boum, & dolia vini, quæ ex Hungaria in Bohemiam Cæſari advehebantur, inſiliit, dum terrore, & minis exilium minatur. Oppugnata à Cæſarianis arce, atque capta, Rohacius cum ſuis Pragam ad Cæſarem deducitur. Qui ut contemptum ma- D jeſtatis ſuæ, contemptu nobilitatis, quam Rohacius jactabat, ulciſceretur, furcam trium tabulatorum erigi jubet, ac ſummo loco Bohacium ſuſpendi, ut corvos paſceret: medio ſacerdotem ejus, qui defecta Thaboritarum fuit infimo, reliquos latrones circiter ſeptuaginta; eoque ſupplicio tantum cæteris metum incuſſit, ut tam inſolenter deinceps latrocinari nemo auderet. *Dubrav. lib. 27.*

Muſtaffà Solymanni Turcarum Imp. F. inſidiis novercæ Roſſæ, cum de affectatione imperii falsò accuſantis, in patris tentorio indicta cauſa comprehenſus, & ſtrangulatus eſt, circa ann Salut. 1554. *Aſcanius Centorius lib. 6. com. bellorum Tranſylvaniæ.*

Tormentis, Fidiculis.

☞ *Conſule tit. Tolerantia tormentorum.*

Macareus, cùm ob depoſitam pecuniam hoſpitem in templo interfeciſſet, victus avaritia, tormentis examinatus in ipſis quæſtionibus vitam amiſit. *Ælian. lib. 13. Var. hiſt.*

Culeo.

Sotades Poeta plumbeo vaſi incluſus, in mare demergitur, quòd de Rege Lyſimacho, & Ptolemæo plura imprudentiùs E ſcripſiſſet.

Hyperbolus Athenienſis, poſt Cleonis potentiam ad Principatum Athenarum evectus ſua verſutia, cum priùs lucernas æreas factitaret, & plumbum æri miſceret, ut pondere ementes falleret. Sed è Republ. ejectus iterùm propter improbitatem, Samumque profectus, culeo inſutus, in mare dejectus eſt, inimicorum inſidiis. *Girald. Dial. 5. Hiſt. Poetar.*

Tarquinius Rex, M. Tullium, vel Attilium duumvirum, quòd librum ſecreta civilium ſacrorum continentem, cuſtodiæ ſuæ commiſſum, correptus, Petronio Sabino deſcribendum dediſſet, culeo inſutum, in mare abiici juſſit, idque ſupplicii genus non multò poſt parricidis lege irrogatum eſt. Juſtiſſimè quidem, quia pari vindicta parentum, ac Deorum violatio expianda eſt. *Valer. Maxim. lib. 1. c. 1. Dionyſ.* auctor eſt M. Attilium duumvirum Sibyllinorum librorum, quia eos temerè tranſcribendos privato homini dediſſet, impiè fuiſſe judicatum, bubulo corio inſutum, atque in mare Tarquinii juſſu projectum.

P. Mallcolus maternæ cædis reus primus omnium, ut Livius ſcribit, inſutus culeo in mare dejectus eſt. *Sab. l. 2. Enn. 6.*

Paulus Chupor Ungarus, à Boſſenis, à Rege Sigiſmundo F deficientibus, captus, bovino tergo inſutus, in profluentem ab Hernoja cum his verbis demerſus eſt: Qui ſub humana ſpecie bovina quondam voce utebaris, bovinam quoque nunc cum voce formam indue. Nam cùm os, moreſque bovis dux ille præferret, in regia quandoque à Paulo ludibrii loco per mugitum ſalutatus eſt: unde concepto in eum gravi odio, facta vindictæ copia, hoc immane ſupplicii genus invenit. *Bonfin. lib. 3. Dec. 3.*

Crucibus Crucifixi.

☞ *Eos hic propriè intelligimus, qui σταυρωθέντες Græcis dicuntur, quique in crucem violenter affixi expirant. Impropriè etiam, qui ſuſpendio vitam in furca finiunt, in crucem tolli dicuntur. De quibus ſub tit. Suffocatorum laqueo.*

Omnium, qui cruce perierunt, nemo majore ludibrio affectus eſt, nemo pluribus tormentis afflictus, nemo frequentioribus plagis mutilatus, quam intemeratæ Virginis innocens Filius. Nulla in eo peccati ſcintilla reperta eſt, nihil deliquit unquam, mundus ex munda matre natus eſt, mundè vixit, juſtitiam, & æquitatem verbo ſemper, & opere docuit. Neque tamen puduit verpos illos, & recutitos canes, livore, & invi- G dia tabeſcentes, cauſam machinari, qua eum morti traderent. Quam licèt nullam repeiriſſent, agnum tamen primùm flagellis ubique membrorum laceraverunt, frontem corona ſpinea perforaverunt, faciem immundis deformaverunt ſputis, colaphis immanibus totum caput contuderunt, latronis more vinxerunt, vinctum ad majorem ignominiam traxerunt compitatim, & ad extremum inter latrones veluti latronem ſuſpenderunt. Quod cùm ad mortem non putarent ſufficere, manus, & pedes clavis, latus lancea confoderunt.

Illum ego de Libyca natum jurabo leæna,
Arcadicaſque inter delituiſſe lupas.
Cui tua crux lachrymas non moverit, ô bone Chriſte,
Ille erit & ferro durior, & chalybe.

Hæc Raviſius.

Cùm quinque Reges Amorrhæi, qui urbem Gabaon obſederant, eo quòd cum Joſue fœdus iniiſſet, à Joſue profligati eſſent, & in ſpeluncam quandam apud Macedam ſeſe abdidiſſent, Joſue ingentia ſaxa ad os ſpeluncæ advolvi juſſit, & eos ibi cuſtodiri. Poſt deletos hoſtes reverſus, à ſpelunca eos extrahi, & belli proceribus, ut pedes ſuos illorum cer- H vicibus imponerent, imperavit. Mox eos in crucem ſuſtulit. Occidente ſole demiſſos in ſpeluncam eandem abiici, & fauces ſpeluncæ ingentibus ſaxis oppilari præcepit, quæ etiamnum manent. *Joſ. c. 10.*

Rex Hajenſis à Joſue in crucem actus. *Joſ. 8.*

Sauli ſeptem filii à Gabaonitis crucifixi, quòd eos Saul contra fœdus à Joſue ictum perdidiſſet. 2. *Reg. 21.*

Aman Amalechita, vel Macedo, apud Regem Perſarum Artaxerxem potens, ob intentatam Mardochæo, & omnibus Judæis internecionem in crucem ſublatus eſt cum decem ſuis filiis, Suſis. *Eſth. cap. 7.*

Diſmas Ægytius latro, Criſt. crucif. à dextris pependit.

A. Andreas, & Petrus pro Chriſti nomine cruci ſuffixi ſunt: hic Romæ ſub Nerone, ille in Achaja ſub Ægea proconſule: hic capite deorſum demiſſo, indignum ſe dicens, qui more ſui præceptoris crucifigeretur, ille ſurſum erecto. De utroque *Joan. Franc. Mirandula* ſic ſcribit in Hymnis:

Exten-

Extenditque alacer, figendaque brachia lætus
A *Porrigit Andreas, verſaque ſub arbore pendet:*
Et caput in terram ſimili ſub ſtipite Petrus
Præbuit, atque lubens protendit in aera plantas,

Simeon filius Cleophæ, poſt Jacobum fratrem Domini Hieroſolymorum Epiſcopus, ſub Trajano Imp. in crucis patibulo ſpiritum emiſit.

Petrus Aulanus, tempore Diocletiani, & Maximiani Impp. ſupplicio crucis vitam finivit, Severo præſide. *Martyr. Rom. 3. Januar.*

Alexander, & Epipodius martyres apud Lugdunum ſub Antonino Vero patibulo crucis affixi ſunt. *Ibid. 22. April.*

Claudius, & Aſterius, & Menon, Chriſtiani poſt multa ſuppliciorum genera tandem in crucem elati ſpiritum Domino reddiderunt. *Ibid. 23. Auguſt.*

Julia Virgo Carthaginenſis, Chriſtiana, eodem mortis genere animam efflavit. *Ibid. 15. Julii.*

Neſtor Epiſcop. ſimiliter ſub Decio Imperatore, & Pollione præſide. *Ibid. 26. Febr.*

Zoe Nicoſtrati Martyris uxor, in furcam acta, ibidem cum B morte vitam mutavit, partim crucis tormento, partim fumo (quem carnifices ad arboris radicem poſuerant) ſuffocata. *Ibid. 3. Julii.*

Ninus Aſſyriorum Rex Pharnum Medorum Regem, quia ejus dicto non ſtatim paruiſſet, cum uxore, & ſeptem liberis cruci miſerabiliter affixit, *Sab. lib. 1. En. 1.*

Strabo lib. Geor. 14. ſcribit fluvium eſſe nomine Letheum, vicinum Libibus Heſperiis: huic imminere montem cui nomen Thoras, in quo fama eſt Daphitam grammaticum cruci ſuffixum fuiſſe, quòd maledico carmine reges inceſſiviſſet. Unde dictum illud manarit in vulgus, ut dicerent, *φύλαττε τ̀ Θώρακα*, id eſt, Cave à Thorace. *Eraſm. in Adag.*

Dario in Græcos bellante, Hiſtiæus Milæſius ab Harpago Darii præfecto captus, & cruci affixus eſt. *Herodot.*

Sandox Æolidis præfectus à Dario cruci affixus eſt, quòd pecunia corruptus injuſtè judicaſſet. *Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 5.*

Artayctes Perſa, Seſti præfectus, ab Athenienſibus, Xanthippo Antiphronis filio duce, captus, ſtipiti ſuffixus C eſt. *Herod.*

Sataſpes Perſa, Traheaſpis filius, à Xerxe Rege cruci affixus eſt, quòd Zopyri filii Megabyzi filiam virginem vitiaſſet: quodque etiam totam Africam non peragraſſet, quod ſe facturum ad diluendum ſtuprum dixerat. *Herod.*

Alexander Jannæus Hircani III. F. Judæorum Rex, victis aliquoties Judæis rebellantibus, tandem potentiſſimos eorum compulſos in Bethoniam oppugnavit, & Hieroſolymam captivos abduxit. Ubi epulans cum pallacis excelſiore loco ad DCCC. juſſit ſuffigi crucibus: in conſpectu ad huc viventium jugulavit uxores eorum, & liberos, pœnas exigens pro acceptis injuriis. *Joſeph. lib. 13. cap. 21. & 22.*

Tyrum urbem Phœniciæ clariſſ. inopinata Servorum conſpiratio oppreſſit. Cuncti liberæ fortunæ viri ad unum cum virili ſtirpe periere. Alexander itaque Macedo poſt longam obſidionem Tyro potitus, nefariæ cædis memoriam pertæſus, velut antiquæ Tyriorum injuriæ ultor, quicumque bello ſuperfuere, crucibus (ſervili ſupplicio) ad unum affixit, Stratonis tantùm progenie ſervata. *Sab. lib. 9. En. 1.*

Polycrates tyrannus Samiorum, & pater Syloſontis, cùm tota vita feliciſſimus fuiſſet, ad extremum ab Orœte Perſa D comprehenſus, in furcam actus eſt, docuitque cum Solone, nihil omni ex parte beatum, *Herod. in Thalia, & Strabo lib. 14.*

Bomilcar Amilcaris filius, Pœnorum Dux, veniens in ſuſpicionem Carthaginenſium, quòd cum Agathocle conſpiraret, in medio foro patibulo ſuffixus eſt. Unde ille magno animo de cruce in Pœnos clamitando, eorum & ingratitudinem, & crudelitatem illis exprobrando expiravit. *Trogus lib. 33. Juſtin. lib. 22.*

Mortuo Alexandro Magno, Perdicas expeditionem fecit adversùs Ariarathã Cappadociæ adminiſtratorem Macedonibus rebellantem: prælioque victor, interfectis 4000. viris, & totidem captis, Ariaratham, ejuſque cognatos omnes excruciatos crucifixit. *Diod. lib. 18.*

Hanno Carthaginenſis, Philippi Macedonis Regis temporibus, quòd in filiæ nuptiis principes civitatis veneno necare tentaſſet, captus, ac primùm virgis cæſus, deinde effoſſis oculis, & manibus, cruribuſque fractis, cruci affixus eſt. *Juſtin. lib. 21. & Oroſ. lib. 4. cap. 6.*

Alexander Macedo, mortuo Ephæſtione (quem unicè diligebat) medicum ejus Glaucum (quòd eo in ſpectaculis abſente Ephæſtiôn vinum bibiſſet) cruci ſuffixit. *Plut. in Alexandro.* E

Val. Beſtius à L. Imbrico affixus eſt cruci, quòd Ruſejum filium ſuæ fidei commiſſum interfeciſſet, ut ejus auro potiretur. *Plut.*

Titus Hieroſolymam oppugnans, captum unum ex hoſtibus cruci pro muro affixit, ſi fortè reliqui, vel hoc ſpectaculo territi deditionem facerent. Sed fruſtra. Eos etiam, qui pabuli cauſa è civitate erumpente, cùm Rom. congrediebantur, comprehenſos omnes Titus crucifigi juſſit. Capiebantur autem indies Judæorum quingenti, & ampliùs, quos Romani ira, & odio ſuffigebant, cùm tantam multitudinem cuſtodire non poſſent. Tandem, & ſpatium crucibus deerat, & corporibus cruces. *Ioſeph. lib. 6. cap. 7. & 12. belli Iudaici.*

Pueros Chriſtianos à Judæis crucifixos, *ſub Tit. Hominum ſacrorum contemptores, Religionis odio,* leges.

Palis ſuffixi.

Bladus Dracula, ut ſibi ſtabilem principatum Moldaviæ redderet, occidiſſe fertur viginti millia hominum, eoſque tam infantes, quàm adultos palis ſuffixit. *Chalcocondylas lib. 9.* F

SUPELLECTILE Oeconomica, Ut

Pulvino.

☞ *Vide Tit. Suffocatorum.*

Lucerna.

Brandolinus Comes, à quo Magnus Sfortia ad Viterbium ſauciatus, & penè interfectus fuit, erat Braccianæ factioni Sfortiæ contrariæ vehementer addictus: ſimilemque animum Tiberius filius adversùs Sfortianos ſemper exercuit, ne à paterna diſciplina diſcederet: unde illi demum fatale exitium. Franciſco enim Magni F. Mediolani ad principatum tanta felicitate provecto, cùm Bracchianas opes undique fractas, deletaſque conſpiceret, ſeſe turbido ingenio à vetere invidia, odioque ad perfidiam vertit. Atque ita deprehenſus, & cuſtodiæ traditus, ut imminenti ſupplicio ſe eriperet, præacuto ferreæ lucernæ manubrio ſibi juguli venam perfodit, & interiit. *Iovius in Sfortia.* G

Scabello.

Lais meretrix ligneis ſcabellis occiſa à mulieribus quibuſdam in Theſſalia, per invidiam, cùm à Pauſania quodam Theſſalo amaretur. *Athen. lib. 13. c. 20.*

Thorimundus Gothorum Rex Toloſæ morbo oppreſſus, cùm ejus curandi gratia ſanguinem mitteret, à cliente Aſculo inimicos falsò adeſſe nuntiante, armis ſubtractis, occiſus eſt, ita tamen, ut ſcabello arrepto, antequam opprimeretur, nonnullos ex inſidiatoribus ſtraverit. *Sigon. lib. 13. Imp. occid.*

FIBULIS.

Quidam Athenienſium ſolus ſuperſtes è bello Æginetico cùm rediiſſet domum, à mulieribus fibulis confoſſus eſt, percontantibus ſingulis ubi ſuus vir eſſet. *Herod. lib. 5.*

STATUIS.

Mortuo Theagenæ Thaſio athleta nobiliſſimo, cùm quidam obtrectatorum ad ejus ſtatuam nocte quadam acceſſiſſet, eamque flagris cæcidiſſet, non aliter, quàm ſi in eo ære ipſum viventem ulciſceretur: ſtatua ſubitò concidit, percuſſoremque ſuo caſu oppreſſit. *Macrob. lib. 1. Saturn. c. 11.*

Corcyræi bovem æneam in Olympia dedicarant. Puer par- H vulus ſub ea ſedens, cùm pronus luderet, ſublatum temerè caput tam vehementer æri impegit, ut ex eo vulnere obierit. *Pauſ. lib. 5.*

Puer novercæ cippum appio coronans, ejus ruina oppreſſus periit. De quo ſic *Callimachus in 1. Græcor. Epig.* Latinè ſic verſum.

Exiguo lapidi puer addit ſerta novercæ,
Mutaſſe ut vitam, ſic ratus ingenium.
At puerum extinguit tumulo hæc illapſa. Novercæ
Privigni exanimem vel tumulum fugite.

Argivi Milii in ſeditione trucidati ærea ſtatua, cùm ludi in foro ederentur, collapſa in ejus Percuſſorem, hunc oppreſſit. *Plut. de Tarda Dei vindicta.*

In Cynegium (loci nomen eſt) abiiciebantur violenta morte perempti: eoque in loco ſtatuæ erant quædam, Ac Theodorus anagnoſtes cum Himerio chartulario ibi ſtatuam viderũt, ſtatura puſilla, ſed latam, & craſſam. Me autem admirante *inquit Suidas*) Himerius: Admirare, inquit, is enim eſt, qui Cynegium

Cinegium condidit: Tum ego; Maximius, inquam, condi- A dit, Ariſtides eſt dimenſus. Protinus autem ſtatua ex alto delapſa in Himerium, hominem occidit. Me autem perterrito, & ad Eccleſiam fugiente, & rem nunciante: cùm nemo crederet, jurejurando fidem feci, & quidam ex regiis mecum in eum egreſſi locum, ante conſpectum cadaver hominis;, ſtatuæ caſum mirabantur. Tum Joannes quidam Philoſophus, ſe ſcriptum reperiſſe ajebat, clarum virum ab illo ſigno occidendum. Quo Philippus Imper. comperto ſignum id eodem in loco juſſit obrui.

Cùm Kennethus Rex Scotorum Cruthlinthum Fenellæ filium occidiſſet, tum etiam Malcolmum Duffum, Regem, & affinem Fenellæ: illa ſtatuam mira arte fabricare juſſit, in cujus manu pomum aureum gemmis nobilioribus refertum erat, quod quicunque tetigiſſet, ſtatim multis jaculis confodiebatur. Eo regem nihil ſuſpicantem invitatum, in Fetircarii oppido occidit, in Hiberniam evaſit. *Cardanus de Rer. var. lib. 12. cap. 58.*

ACCIDENTIBUS QUIBUSDAM.

Cujuſmodi eſt.

B VISUS, ASPECTUS.

☞ *Huc ii, quos Baſiliſci, vel Catoblepæ aſpectus enecat, per accidens quoque referri poſſunt. Alioqui ratione veneni, quo perimuntur, ad locum veneno peremptorum pertinent. Conſule item Tit. Excæcatorum.*

In Hachmolen oppido ad Vveſeram quidam in area cùm foveam teneret, rebus ſervandis, frugibus, aut aliis idoneam, eam jam vetuſtate obſoletam innovare conſtituens, immiſit foſſorem, qui purgaret. Ille ſubitò concidit mortuus. Deſcendit alius, ut videret, quid prior pateretur: & ille quoque ſtatim expiravit. Mirati, qui ſuprà ſtabant, cùm clamoribus nemo reſponderet, & hunc mortuum intellexere. Tertius fune immiſſus, jubebat ad primum ſignum ſe retrahi: vix mediam pervenit in ſpecum, & jam ſpiritu cœpit intercipi, clamans, ut extraheretur. Eductus vix ſpiritum retinuit, multos poſteà dies languens. Baſiliſcum ineſſe putabant, qui viſu interficeret immiſſos. Cùm idem proximis hinc annis Buxtehudæ oppido Bremenſis ditionis accidiſſet, phyſici cauſam dixerunt, aerem in imo corruptiſſimum, qui concretis humoribus peſſimis magis, atque magis putreſcens, adeò cœperit eſſe venenatus, ut flatum draconis, aut viſum baſiliſci ſuperaret. *Crantz. lib.* C 8. *Vand. cap. 30.*

SONUS.

Memini cùm eſſem Heſdini, quo tempore hoſtibus Caroli V. copiis cinctum teneretur, quòd interim, cùm tormentis æneis murus pulſaretur, fragor ex bombardis bellicis ſublatus tantùm doloris cruciatum ægris quidem omnibus, ſed præſertim capite ſauciatis excitabat, ut dictitarent videri ſibi ad ſingulas machinarum ignivomarum diſploſiones, verberibus ſe, & fuſtibus crudeliter, qua parte vulnera inflicta erant, cædi: & certè hinc adeò recrudeſcebant vulnera, ut multus per ipſa tum ſanguis ſtillaret, & dolore, febreque exacerbatis multo cum gemitu expirare cogerentur. *Pareus lib. 9. cap. 15.*

ODOR.

Cadaveris.

Scapharum ſupplicium apud Perſas Derbices tale eſt, quod σκαφεύθῆναι vocant. Scaphas duas inter ſe congruentes accipiunt. In alteram ſupinum eum, qui pœnæ eſt deſtinatus, locant: inde inducunt alteram, & coaptant ita, ut caput, manus, D & pedes exerantur, reliquum ſit incluſum corpus. Tum cibum homini præbent, quem ſi reiiciat, compellunt eum oculos fodicantes ſumere. A cibo mel, & lac confuſum ei ad potum infundunt, tum ad ſolem obvertunt aſſiduè oculos ejus, ut incubantium examine muſcarum tota integatur facies. Cùm autem intus faciat, quæ homines, qui edunt, & bibunt, neceſſe habent: tineæ lumbrici ex tabe, & putredine excrementorum proveniunt, à quibus corpus in viſcera penetrantibus conſumitur. Poſtquam conſtat expiraſſe hominem, ablata ſuperiore ſcapha carnem cernunt corroſam, & ejuſcemodi vermium examina mordicus affixorum viſceribus, eaque adedentium. Ad hunc modum Mithridates, qui Cyrum, regis fratrem, in prælio vulneraverat, & ejus facti gloriam ſibi non regi vindicabat, ſeptendecim dies tabeſcens tandem interiit. *Plut. in Artox.*

Rex Evander apud *Virgil. in ſerm. cum Ænea* de Mezentii crudelitate inter alia dicit.

Mortua quin etiam jungebat corpora vivis.
Componens manibuſque manus, atque oribus ora.
(Tormenti genus) *& ſanie, tabeque fluentes*
Complexa miſeros longa ſic morte necabat. E

Immanis autem hujus cruciatus mentionem fecit *Clemens Alexandrin. in Protreptico. Victor. lib. 4. Var. lect. c. 18.*

Croci.

Agaſo quidam Piſaurenſis ſuper duabus croci ſarcinulis dormiens, eadem nocte obiit. *Teſtis Amatus Luſitanus in Dioſcoridem, cap. de Croco.*

Stercoris.

Marcellus Summus Pontifex à Maxentio Imp. juſſus erat Epiſcopatu ſe abdicare, & Chriſtianum nomen deponere. In catabulum ad cuſtodienda animalia publica incluſus, menſe nono pedore, & ſitu mortuus eſt. *Plat.*

ÆSTUS.

☞ *Vide Tit. Suffocatorum æſtu.*

FRIGUS.

☞ *Vide Tit. Frigore extincti.*

Lutetiæ Brito quidam ſervus à ſtabulo, cùm à cœna probè potus ſuprà lectum ſe conjeciſſet, per proximam feneſtram, quam patentem reliquerat, frigus ſubiens ſic alterum ejus crus occupavit, ut mox à ſomno excitatus, nec tibiis F ingredi, nec pedibus ſe ſuſtentare poſſet. Cùm igitur crus ſtupefactum tantùm putaretur, juſſus eſt igni adſtare. Sed cùm illud propius admoviſſet, plantam pedis ſibi ſine ullo doloris ſenſu digiti craſſitudine inuſſit: jam enim pluſquam dimidiam cruris partem necroſis occupaverat. Itaque in Noſocomium deportatus cùm eſſet, conatus ejus loci Chirurgus eſt, cruris emortui, amputatione reliquum corpus à morte imminente vindicare: Sed fruſtra: Gliſcente enim in ſupernas partes necroſi, intra triduum mortuus eſt, cum laborioſis ructibus, & ſingultibus, delitiis, frigido ſudore, & crebra ſyncope. Profectò tota illa hyeme frigoris tanta extitit inclementia, ut pleriſque in Noſocomio narium alas, ſeu pinnas necroſis ſine ulla putredine occuparit. Itaque cùm ex tam multis quatuor delegiſſem, quibus nares amputarem, duo quidem incolumes evaſere: reliqui ſerpente malo interiere. *Pareus lib. 11. cap. 12.*

MORTIS INSTRUMENTA IN CORPORE exiſtentia. MORTUI ex PITUITA.

G

Kennethus Scotorum Rex, qui Pictos excidit, pituitæ redundantia apud Forteviorum obiit, anno, quo ſupremum inter Scotos iniverat magiſtratum, viceſimo, Chriſti 855. *H. Boet. lib. 10.*

AQUA necati.

TOTIUS CORPORIS, HYDROPE,

Leucophlegmatia.

Heraclitus Epheſius Philoſophus, intercute laborans, cùm bubulo ſtercore oblitus ſe Soli expoſuiſſet, canibus laceratus eſt. Triumphum de clariſſimo philoſopho canes hydropi eripuerunt.

Crantor Solenſis, Xenocratis auditor, qui Commentarios, Poemataque varia ſcripſit, & inter cæteros Homerum, Euripidemque ſemper admiratus eſt, intercutis morbo interiit. *Laert. in ejus vita.*

Domitius Pater Neronis deceſſit Pyrgis morbo aquæ intercutis: ſublato filio Nerone ex Agrippina Germanici genita. *Suetonius.*

Adrianus Imp. mortuus eſt morbo intercutaneo, XXII. imperii ſui anno, ſepultus Puteolis in villa Ciceroniana. H *Plat.*

Trajanum Imp. ex Arabia redeuntem gravior morbus oppreſſit: venenum ſibi datum ſuſpicatus eſt. Quidam tradunt, ſiſtente ſanguine, qui ei ſtatis diebus ab imo profluebat, contractam ægritudinem fuiſſe. Stupore itaque membra reſoluta ſunt, ut pars corporis ſenſu defecta aliqua manſerit. Demùm aqua intercute repletus, apud Selinuntem Ciliciæ urbem, quæ & Trajanopolis poſt dicta eſt, repentè extinctus eſt: anno imperii undevigeſimo, ætatis ſexageſimoquarto. Cineres relati Romam, humatique Trajani foro, ſub ejus columna, & imago ſuperpoſita, ſicut triumphantes ſolebant, in urbem invecta, Senatu præeunte, & exercitu. *Cuſp.*

Victo Eugenio tyranno Theodoſius Magnus Mediolani in morbum incidit, qui aqua inter cutem appellatur. Quo ingraveſcenti, ſaluti ſuæ metuens teſtamentum condidit, atque Arcadio Orientem, Honorio Occidentem reliquit, atque illi Rufinum, huic Stiliconem tutorem conſtituit. Pauliſper inde ex morbo

morbo recreatus, ludos victoriæ adiit, atque eos animi cau- A ſa ante prandium inſpectavit. Poſt prandium verò cùm vehementius languere cœpiſſet, Honorio, ut intereſſet, mandavit: ac ſubſequente nocte 16. Kal. Febr. è vita migravit, anno æt. 60. Imperii: Mortem ejus frequentes imbres, & ſolito tenebroſior caligo, & terræ tremor præcedens nunciavit. *Sigon. lib. 9. Imp. occid.*

Honorius Imp. Ravennæ graviſſimo, atque inter cutem morbo tentatus, Romam ſe revehendum curavit, ibique 18. Kal. Septemb. an. 423. eo conſumptus interiit, an. ætat. 43. Imperii verò poſt patris exceſſum 29. *Sigon. lib. 11. Imp. occid.*

Benjamin Monachus in Scethi, miraculis clarus, hydropicus intantum intumuit, ut in vaſta ſella tantùm ſederet, & mortuus non niſi diſruptis poſtibus extra cellam efferri poſſet. *Sozom. lib. 6. cap. 29.*

Heraclius Imp. cùm annos 31. imperaſſet, morbo intercutis moritur, novo cladis genere, ſurſum verſo virili membro, & ſemper tento (priapiſmum medici vocant) ut quoties mejeret, niſi tabula umbilico admota prohiberet, vultum lotio ſpargeret. Exiſtimant, ob illicitas nuptias cum fratris filia id B ei accidiſſe. *Cuſp.*

Michael Paphlago, Conſtantinopoli à Zoe Auguſta (uxore priùs Romani IV.) Cæſar appellatus, cùm ea annos ſex imperavit: ſponte ſe abdicavit in monaſterio Anargyrorum, in ſuburbio Byzantii à ſe condito, ubi aliquot diebus poſt hydrope obiit, an. Dom. 1041. *Zon.*

Bela II. Ungariæ Rex, pacato regno, ocio, & luxui ſe totum dederat: tandem hydropiſi correptus, nono regni ſui anno è vivis exceſſit, qui fuit Chriſti 1142. *Bonfin. lib. 6. Dec. 2.*

Georgius Podiebradius, vel Poggiebraccius, Boemorum Rex poſt Ladislaum, hæreticus à Pontif. Max. judicatus, hydrope periit 22. Martii an. 1470. *Crom. lib. 27. & Dubr. lib. 30.*

Paulus IV. Pontifex mortuus eſt ex hydrope 15. Kalend. Septemb. an. Sal. M.DLIX. quem vixiſſet quatuor, & octoginta, ſediſſetque annos quatuor. *Panvin.*

PARTIS: nimirum

Capitis, Hydrocephalæ.

Scribit *Veſalius* viſam à ſe Puellam bimulam, cui ex tumore caput craſſius erat quovis virili capite, craniumque non oſ- C ſeum, ſed membranoſum, quale ſolet eſſe abortivo fœtui, effuſamque inde aquam novem librarum pondere.

Narrat *Albucaſſis*, viſum ſibi Puerum, cui caput indies ob aquoſum humorem contentum grandeſceret, tandemque in tantùm tumorem ſublatum, ut ipſum, nec ſtans, nec ſedens cervice ſuſtinere poſſet, adeò ut paucis poſt diebus interierit. *Pareus lib. 7. cap. 1.*

Pulmonis.

☞ *Vide Pulmonis hydrope mortui.*

FOETU EX PARTU, VEL

Abortu mortuæ.

Rachel uxor Jacob Patriarchæ, prope Ephratam difficulter peperit: animam agens, filium Benonim, id eſt, filium mei doloris, vocavit: at Jacob, Benjamin, id eſt, filium dextræ. *Geneſis cap. 53.*

Uxor Phinees, cùm Iſraelitas magna clade à Palæſtinis victos, arcam Domini captam, maritum in acie cæſum, ſocerum Heli ſummum Pontificem nuncio triſti accepto de ſella collapſum, & exanimatum audiviſſet, jam vicina partui, doloribus correpta peperit filium, cùm moribunda Achab ap- D pellavit, hoc eſt, periit gloria, capta nimirum arca divina. *1. Reg. cap. 4.*

Pœnon Amathuſius Theſea ait tempeſtate in Cyprum delatum, cùm gravidam ſecum haberet Ariadnam, malèque ex jactatione affectam, & languentem ſolam expoſuiſſet, feminas indigenas excepiſſe Ariadnam, mœſtamque, quòd relicta eſſet ſola foviſſe, ac litteras obtuliſſe ei adulterinas, ſicut à Theſeo ad eam miſſas, adjuviſſe etiam, & præſto fuiſſe in partu, atque defunctam non edito partu funeraſſe. Supervenientem Theſea, & dolore confectum, indigenis argentum reliquiſſe, inſtituiſſeque, ut ſacra facerent Ariadnæ. *Plut. in Theſeo.*

Cùm Æropæ Cephei filiæ, qui Alei Arcadum Regis filius fuit, vitium Mars obtuliſſet, puella quidem inter pariendum animam afflavit. At puer Æropus matrem complexus jam exanimem, lactis è mamillis ejus profluentem copiam hauſit. Id Martis voluntate fiebat. Ejus rei gratia Aphneo (quaſi tu dicas uberi, vel lacturno) templum dicatum in Cteſio monte Arcadiæ. *Pauſanias in Arcadicis.*

Statyra Darii uxor, omnium ſui temporis formoſiſſ. captiva in Alexandri Magni caſtris ex partu obiit. *Plut. in Alex.* E

Tulliola filia Ciceronis, Piſoni Craſſipedi poſt Dolabellam locata, in partu obiit. *Volat. lib. 20. Anthrop.*

Ariſt. 3. de Poetica ſcribit, in inſula Io, quo tempore Neleus Codri filius Coloniæ in Joniam ducendæ præfuit, puellam indigenam à genio quodam ex eorum numero, qui cum Muſis choros ducunt, compreſſam, cùm intumeſcente utero facti pudore moveretur, deveniſſe in quendam locum, cui nomen eſt Ægina. Ibi à prædonibus, qui eo excurſionem feciſſent, captam, Smyrnamque adductam ab his, Lydorum (ſub his enim tunc erat Smyrna) Regi Mæoni ſocio ſuo dono datam: ab hocque pulchritudinis cauſa in matrimonium eam adſcitam. Hanc, cùm ad Meletem fluvium commoraretur, partus doloribus circumventam, ad ipſum fluvium peperiſſe Homerum, ſtatimque expiraſſe. *Plut. in Hom.*

Julia Cæſar, F. Cn. Pompejo nupta, filiam enixa, ex puerperii doloribus expiravit. Nec multos dies ſuperſtes partus fuit. *Plut. in Pompejo.*

Junia Claudilla, M. Syllani F. Caligulæ Cæſaris uxor, ex partu obiit. *Suet.*

Fuit Herodi ſophiſtæ uxor Regilla nomine: eam ob pec- F catum haud ita momenti magni juſſit à liberto Alcimedonte cædi. Fortè tunc geſtabat uterum, agebaturque à conceptu menſis jam octavus. Igitur hominis imprudentia ingeſtis in ventrem plagis, non ferens mulier injuriæ vim, immaturo partu, naturæ conceſſit. Eo nomine poſtulatus cædis eſt Herodes apud Romanum Senatum ab uxoris fratre. *Cæl. lib. 20. c. 27. Antiq. Lect.*

Eudoxia uxor Arcadii Imp. cùm ob avaritiam, & licentiam caſtigaretur à Joanne Chryſoſt. Conſtantinopolitano Patriarcha Arcadium Imp. induxit, ut viro ſancto exilium indiceret. Eo ad deſerta Armeniæ delato, ubi diem obiit, vix tribus menſibus elapſis, Auguſta, ob partus dolores, fœtu marceſcente in utero crudeliſſimè mortua eſt. *Cuſp.*

Ludovici Malani Flandriæ Ducis uxor, dolis ad ſe pellectæ Pellici nares abſcidit. At tertiò poſt die gemellos maſculos enixa, ſtatim unà cum infantibus expiravit, circa an. Chriſt. 1383. *Jac. Marchantius de reb. Flandriæ.*

Filia Grammatici cujuſdam cùm geminos enixa eſſet, doloribus partus ipſa ſimul cum liberis exanimata periit. Pulchrè G igitur *Palladas in 1. Epigr. Græc.* ſic luſit.

Γραμματικοῦ θυγάτηρ ἔτεκεν φιλότητι μιγεῖσα
παιδίον ἀρσενικόν, θηλυκόν, οὐδέτερον.

Irene uxor Philippi Imperatoris audita ſæviſſima mariti nece, præ dolore exanimata cecidit, atque abortum fecit, brevique diem ultimum clauſit, in monaſterio Loricenſi ſepulta. *Cuſpin.*

Laurentii Medicis, Leon. V. Pp. patruelis, Uxor è familia Polonia Regiæ cognationis, incredibili apparatu Florentiæ ſuſcepta, poſt decimum ferè menſem maritum ad vitæ exitum ultrò feſtinantem quinque diebus anteceſſit, in ſupremo morbi impetu puellam enixa, Catharinam, Henrici II. Gallorum Regis uxorem. *Julius lib. 4. vita Leon. X.*

Juditha Rodolphi Cæſar. F. Venceslai IV. Boemorum Regis uxor, ann. 1292. in partu periit, puellam enixa Juditham non diù ſuperſtitem. *Dubr. lib. 8.*

Anna Gandala, è Vaſconum gente, Uladislao Hungariæ, & Boemiæ Regi enixa erat filiam. Qui regno tacitè inhiabant, ſi regni hæres nullus eſſet, verbis ſe conſolabantur, quòd filia H non autem filius, qui legitimus regni hæres haberetur, nata eſſet. Altero deinde partu appropinquante, & nonnullis ex illa factione ſuſpectam reginam habentibus ne puerum ſupponeret, ſi puellam enixa fuiſſet: juſſit illa partui ex iis ſuſpicioſiſſimam unà cum obſtetricibus intereſſe, ut oculatus eſſe teſtis poſſet, mas, an femella naſceretur: natuſque eſt Ludovicus, matre ex illo nixu fato functa, quoniam non ita, ut debuit, procurari ab obſtetricibus potuit, ſpectatore præſente, cui fas non erat puerperiis ſe admiſcere. *Dubr. lib. 32.*

Iſabella Ferdinandi Aragonii F. Emmanueli Luſitanorum Regi nupta, antequam pareret, ægrotabat, & quò magis appropinquabat partus, eò majora ſigna imbecillitatis oſtendebat. Cùm verò filium Michaelem enixa fuiſſet, tanta vis ſanguinis ex illa profluxit, ut vires eam omninò deficerent, uſque eo, dum extremum ſpiritum in complexu patris ederet. *Oſor. lib. 1. rerum Emman.*

CALCU-

CALCULO, LAPIDE

A *Cerebri.*

Lipſenſis quidam tenuis fortunæ homo per multos annos continuo, & acerbiſſimo capitis dolore affectus, quem eſu mori ſe contraxiſſe affirmabat, à Mauritii Saxoniæ Ducis medico Jo. Pfeilio, qui diù in Italia medicinam fecerat, & Florentino etiam Xenodochio præfuerat, incaſſum curatus, poſt mortem ſectus, in cerebri ſubſtantia lapidem cinereo colore, forma, & magnitudine moro ſimilem habuiſſe deprehenſus eſt. *Ioann. Kentmanus de calculis in humano corpore genitis.*

Hepatis.

Hieronym. Scriba Norimbergenſis, Valerii Cordi medici ſtudiorum, & itinerum Com. per Germaniam, & Italiam, Lutetiæ ann. 1547. cum inſigni medicæ Reipubl. dolore expiravit. Tres lapides in hepate ejus reperti. Maximus dimidiatum columbæ ovum adæquabat, anguloſus, lividus, ſolidus, panniculo hepatis contiguus. Sic & cæteri. *Ioann. Kentman. de Cal. in hum. corp.*

Fellis.

Maternus Badehornus, Badehorni I. C. Lipſenſis Coſſ. frater, juvenis eruditus, & humanus, ex Italia reverſus que- B ri ſenſim de ſtomachi, & hypochondrii dextri torſionibus, & nauſea cœpit. Secuta atrophia, alvi adſtrictione, vigiliis, melancholicis imaginibus, ita ut philtri hauſti ſuſpicionem medicis iniiceret, ann. 1551. ætat. 29. tabidus expiravit. Aperto cadavere, reliquis viſceribus integris, cor tantùm tabe aliquantum affectum fuit. In fellis autem folliculo reperti 22. calculi, ſubluteі, anguloſi, piſorum alii, alii fabarum magnitudine. *Ioan. Kentm. de Calc. in hum. corpore.*

Chriſtiani III. Regis Daniæ aperto cadavere, an. 1559. in fellis veſica pares calculi, ſed numero plures, reperti. Maximus verò unus quadrangulus, colore ad praſinum accedente, in eadem cyſti Friderici III. Saxon. Ducis, cognomento Prudentis Gabriel Fallopius in poſtrema Anatomes adminiſtratione, quam anno 1562. Patavii obiit, è felle cujuſdam CXXIII. calculos exemit, quorum unus ſemiovi gallinacei magnitudine, latus magis quàm rotundus, digitum craſſus, multis tuberculis aſper, levitate tophi, colore luteus erat: pauci modicas fabas, plerique piſa adæquabant. *Ioann. Kentm. de Cal. hum. corp.*

Renum.

C Epicurus Athenienſis Philoſophus, cùm calculo urinæ meatus obſtrueretur, in calidæ aquæ pelvim deſcendit: & hauſto mero, cùm amicos monitorum ſuorum memores eſſe juſſiſſet, inter media verba philoſophicè defecit. *Laertius in ejus vita.*

Vigilius Pontifex diuturno carcere excruciatus à Theodora auguſta Conſtantinopoli, tandem Narſetis opera vinculis ſolvitur. Sed quem tot mala perdere non potuerunt, Italiam repetentem, calculi morbus ſæviſſimus Syracuſis extinxit. *Sab. lib. 8. En. 8.*

Veſicæ.

Frider. III. Saxoniæ Dux, ann. 1525. 5. Maii obiit ex calculo veſicæ prægrandi, cuſpide in cervicem, qua urinæ meatus patet, porrecta, latiore parte in veſica hærente. In cyſti itidem fellis quandrangulus lapis, articuli magnitudine, praſino colore inventus. Denique è dextri renis lacuna alius evulſus, duorum articulorum D magnitudine, ſubrutilus, circumcirca à lithotripticis medicamentis eroſus, ut urinæ via pateret. *Ioan. Kentm. de Calc. hum. corporis.*

DOLORE quocunque corporis.

☞ *Conſule Tit. Singularum partium morbis mortui, ut Dolore Inteſtinorum, Capitis, Renum, item Tit. Abortu enectæ, dolore ſcilicet partus ſuprà.*

ANIMI perturbationis. Puta

AMORE.

Scribit *Ariſtoxenus*, eo quòd Iphiculus Harpalicem ipſum amantem contempſiſſet, illam mortuam eſſe: in cujus honorem certamen fit ode inter virgines, eaque, ut inquit, Harpalice appellatur. *Athen. lib. 14. cap. 6.*

GAUDIO.

Chilo Lacedæmonius, unus ex ſeptem, exceſſit, ut *Hermippus* ait, Piſæ complexus filium in Olympia victorem. *Volat. lib. 14. c. 2. Antrop. ex Plin. lib. 7. cap. 32. & 53.*

Athleta Crotoniata, cùm victor è certamine Olympiorum diſcederet ad Hellanodicas, ut corona potiretur, ex nimio gaudio anima deficiens, mortuus eſt. *Ælian. lib. 9. de Varia hiſt.* E

Ænetus quinquies in Olympia victor declaratus, accepta corona ſtatim è vita exceſſit, præ gaudio. Ejus ſtatua Amyclis viſitur. *Pauſ. in Lac.*

Sophocles Theophili F. Poeta tragicus mortem obiit annos natus nonaginta, duodeviginti victoriis ornatus. Ferunt, eum, cùm ultimam ageret tragœdiam, ob adeptam palmam inter congratulantes immenſa lætitia exultantem obiiſſe. *Diodor. lib. 15. & Val. Max. & Plin. lib. 7. cap. 53.*

Rhodius Diagoras tres habuit filios adoleſcentes, unum pugilem, ſecundum pancratiaſten, tertium verò luctatorem: quos eadem Olympiade vidit vincere, & coronis inſigniri. Cùm autem tres ſimul filii coronas patris capiti imponerent, & ſuaviſſimè amplexarentur, præ gaudio in manibus filiorum animam efflavit: *Gellius lib. 3. cap. 15. Cic. 1. Tuſc.* duos tantùm filios coronatos aſſerit.

Philippides Athenienſis comicus, ætate jam provecta cùm in certamine Poetarum præter ſpem viciſſet, inter illud gaudium repentè mortuus eſt. *Gel. lib. 3. cap. 15.*

Cratinus Athenienſis comicus, 97. ætat. anno periit, vel gaudio, cùm ex Pytine fabula victoriam retuliſſet: vel mœrore, cùm pleno vaſe vinum (cujus ſupra modum appetentiſ- F ſimus erat) effundi cerneret. *Gyral. Dial. 6. Hiſt. Poet.*

Tellon Imp. cùm ſuos viciſſet hoſtes, beatus à multis dictus, in illa clara victoria felix mortuus eſt, in ipſam victoriæ veſperam. *Zozes Chiliade 1. hiſt. 1.*

Polycrita Naxia, cùm ob eximiam formam, prudentiamque ſimul Diogneto, atque Erithræis perſuaſit, ut Naxi obſidionem ſolverent: ab exercitu in urbem revertens, ubi publico honore, atque omnium lætitia excipiebatur, patriæ liberatrix appellata, dum urbis portam iniret, mortua concidit. *Fulgoſus lib. 9. cap. 12. & Plut. de Claris mul. & Gellius lib. 3. cap. 15.*

Ptolemæus Philometor, victo Alexandro Syriæ Rege, graviter è pugna ſaucius, per quatriduum amiſſo ſenſu cùm ſe recollegiſſet, & miſſum à Zabdiele Arabe caput Alexandri cum gaudio ſpectaſſet, & ipſe obiit. *1. Macbab. 11. & Joſephus lib. 13. cap. 8.*

Dionyſius tyrannus, regno exutus à Dione, cùm Corinni ludum aperuiſſet, & de tragœdiæ victoria nuncium accepiſſet, præ lætitia expiravit. *Plin. lib. 7. c. 57.*

M. Juventius Talva conſul, collega Tiberii Gracchi conſulis, cùm in Corſica, quam nuper ſubegerat, ſacrificaret, G receptis literis, decreta ei à Senatu ſupplicatione nunciantibus, intento illas animo legens, caligine orta, ante foculum collapſus, mortuus humi jacuit. Quem quid aliud, quàm nimio gaudio enectum putemus? En cur Numantia, aut Carthago excidenda traderetur. *Val. lib. 9. cap. 12.*

Victis ad Thraſimenum Rom. eaque clade Romam nunciata, ſollicita, & anxia multitudo ſeſe ad portas effudit, viri promiſcuè, & fœminæ, quæ ſuorum fortuna eſſet, exploraturi. Varii hìc ſciſcitantium affectus, ut quiſque de ſuorum morte, aut vita certior factus eſſet: mulierum multò majores planctus, & gaudia extitere, quarum una ſoſpiti filio ad ipſam portam facta obvia, complexu ejus expiravit. Altera cùm falſo mortis filii nuncio mœſta domi ſederet, ad primum conſpectum redeuntis exanimata eſt. Genus caſus inuſitatum; quas dolor non extinxerat, lætitia conſumpſit. *Val. lib. 9. cap. 12. & Plut. in vita Hannibal. Gell. lib. 3. cap. 15.* At poſterius exemplum ad Cannenſem cladem refert *lib. 7.* H *cap. 53.*

M. Ofilius Hilarus, hiſtrio, & comœdus, cùm populo admodùm placuiſſet natali die ſuo, conviviumque haberet edita cæna calida, potionem in pultario popoſcit: ſimulque perſonam ejus diei acceptam intuens, coronam è capite ſuo in eam tranſtulit: talique habitu rigens, nullo ſentiente, expiravit. *Plut. lib. 7. cap. 53.*

Leo X. Pontif. Max. nuncio recuperati Mediolanenſis imperii Gallis ejectis accepto, ex nimia lætitia febre correptus obit. *Iovius in Leone X. lib. 4.*

Lotharius Imp. ann. 825. in Italia Supponi Spoletano Duci mortuo, Adelardum, qui Comes Palatii erat, ſuffecit. Quo intra quinque menſes febris languore conſumpto, Mauringum Brixiæ Comitem, qui pariter jus dicendo magnam laudem pepererat, ſubrogavit. Qui nuncio collati honoris accepto decubuit, & poſt paucos dies vitam finivit. *Sigon. lib. 4. regni Ital.*

Sinas pirata, cognomento Judæus, triremium præfectus, filium habuit, Tuneti captum, quando Barbaruſſa à Carol. V.

regno

regno pulſus eſt. Is Appiano Ivæ inſulæ, & Populini regulo ſerviebat, & ſacris Chriſtianis initiatus, Barbaruſſæ à Gallis evocato, qui Turcica claſſe Italicum littus deprædabatur, inſulæ vaſtationem minanti redditus eſt. Hinc adoleſcentem Barbaruſſa honoris cauſa ſeptem triremibus præfecit, ſic ut poſteà mitteretur tanquam poſtliminio redditus ad patrem Sinam, uſque ad Suetiam Rubri maris portum, Memphi urbi propinquiſſimum, qui antiquitus Arſinoes fuit. Verùm ſenex inexpectatam, ſingularemque ex recepto filio lætitiam diu ſuſtinere non potuit, cùm præ gaudio ſupremum animæ deliquium incurriſſet. *Jovius in Hiſt.*

RISU.

Ariſt. de Partibus anim. lib. 3. ait, ictu etiam trajecta præcordia, in præliis riſum attuliſſe, litteris proditum eſſe, idque accidere calore, quem moveat vulnus.

Mortuus eſt ridendo Chryſippus, conſpiciens aſinum veſcentem ficis.

Zeuxis Heracleotes pictor, qui ad Helenam penicillo formandam ingenium omne, artiſque vires expoſuit, cùm vetulam quandam à ſe faberrimè pictam inſpiceret, effuſè ſecum adeò riſit, ut inter ridendum animam efflaverit. *Pomp. Ex Verrio recitat Cæl. lib.* 4. *cap.* 18. *A.L.*

Philemon Syracuſanus, novæ comœdiæ Poeta, tempore Alexandri Magni, an. natus XC. paratos ficos, atque in conſpectu poſitos aſello conſumente, puerum, ut illum abigeret, inclamavit. Qui cùm jam comeſtis omnibus ſuperveniſſet: Quoniam, inquit, tam tardus fuiſti, da nunc merum aſello. Ac protinus urbanitatem dicti crebro anhelitu cachinnorum proſecutus, & expiravit. *Val. Max. lib.* 9. *cap....*

Philiſtioni Nicæus comicus, librum φιλόγελον ſcripſit, & riſu obiit. Claruit Olymp. 106. ſub Auguſto. *Gyrald. Dialogo* 1. *hiſt. Poet. ex Suida.*

MOERORE, DOLORE ANIMI, Triſtitia. Ob

Ignorantiam, inventionem irritam.

Calchas Theſtoris F. augur optimus, qui Græcorum ad Trojam proficiſcentium Dux itineris fuit, cum Mopſo Tireſiæ nepote apud Colophonem congreſſus, cùm duo problemata non ſolviſſet (quorum prius erat de groſſis caprici, quot videlicet unus modius comprehenderet, teſte Lycophrone: alterum de ſcrofa prægnante, quæ tres porcellos geſtabat, quorum altera erat femella) præ mœrore expiravit. *Euſtach. Illiad.* α.

Homerus cùm Jum è Chio appuliſſet, animo Athenas traiiciendi, jam ſenex, & in littore Jenſi æger jaceret, ſupervenerunt piſcatores quidam: quos cùm ille interrogaſſet, Ecquid haberent? Reſponderunt:

ὅσ' ἕλομεν, λιπόμεσθ', ὅσ' οὐχ ἕλομεν φερόμεσθα,

Significantes, ſe cùm piſces capere non potuiſſent, in litore deſidentes pediculos captos necaſſe: quos verò non cepiſſent, adhuc habere. Quod reſponſum cùm Homerus explicare non poſſet, fertur mœrore animi expiraſſe. *Val. Max. lib.* 9. *cap.* 12. *& Plut.* At Herodotus negat, & piſcatores ipſoſmet ænima ſolviſſe aſſerit, Homerum verò ex morbo obiiſſe.

Philetas Cous, criticus inſignis, cùm ſophiſma quoddam ſolvere non poſſet, præ mœrore contabuit: præſertim cùm ipſe natura ſua uſque adeò macilentus eſſet, ut ſoleis uteretur plumbeis, ne impetu venti deiiceretur. *Gyraldus in* 1. *Tomo hiſt. Poetarum.*

Diodorus Cronus, Dialecticæ profeſſor, pudore expiravit, luſoria quæſtione non protinus ad interrogationem Stilponis diſſoluta. *Plin. lib.* 7. *cap.* 53. *Laert. & Fulgoſ. lib.* 9. *cap.* 12.

Ariſtot. in Chalcide Euripi ſepties die, ac nocte reciprocantis naturam admiratus, cauſas altius ſecum librans, cùm minus voti compos evaderet, animi ægritudine contraxit morbum, ex quo non convaluit amplius. Sunt qui prodant in fretum dediſſe præcipitem ſe, præfatum elogium: Quoniam Ariſtoteles non cepit Euripum, Euripus cepit Ariſtotelem. *Cæl. lib.* 29. *c. A.L. Brodeus in Epigramm.* hujus auctorem ſcribit Juſtinum martyrem, illius Greg. Nazianz.

Excæcationem aliorum.

Samuel Bulgarorum Dux, cùm videret ſuorum XV. millia à Baſilio Romanor. Duce excæcata, uno tantùm relicto, qui oculis orbatos ad eum duceret, tertio die poſt præ animi dolore periit. *Volat. lib.* 23. *Antrop.*

Stephan. Ungarorum Rex, cùm immatura morte ſublato filio Emerico, Vazulem patruelis filium ſucceſſorem in regno declarare vellet: Gyſla ſecunda Regis uxor, Gul. Burgundionum Ducis F. hoc conſilium impeditura, Sebum Budæ filium Nitriam, ubi Vazul erat, præmittit, qui nomine Regio, Vazuli effoderet oculos, & infuſo aures plumbo compleret. Sebus Nitriam contendens, dira Reginæ mandata peragit. Inſequenti die Buda hujus ſceleris conſcius Vazulem exertis luminibus, & obſtructis auribus ad Regē duxit. Quem ita deformatum ubi Rex aſpexit, in profuſiſſimas lachrymas converſus, confirmato dolore, effœta jam ætate, vitam ultra prorogare non potuit. *Bonfin. lib.* 1. *Dec.* 2.

Opum direptionem, amiſſionem.

Cratinum Athenienſium comicum ſcribunt quidam periiſſe, cùm pleno vaſe vinum effundi cerneret.

P. Terentius Afer Comicus, è Græcia rediens, cum 108. fabula ex Menandro converſas in mari amiſiſſet, præ mœrore obiit. Cn. Cornel. Dolabella, & M. Fulvio Nobiliore Coſſ. in Arcadia, Stymphali, ſinu Leucadiæ: quamvis alii in ipſo mari naufragum periiſſe aſſerant. *Gyrald. Dialogo* 8. *hiſt. Poet.*

Cladem bellicam.

Eli Summ. Pontif. Iſraelitarum, cladis teterrimæ Philiſtæo bello acceptæ nuncio conſternatus, audita triginta millium Judæorum, & duorum, qui in ea acie ſteterant, filiorum cæde, è ſolio præceps datus mortem obiit. Quòd ſi tantus dolor prævideri potuiſſet, fuiſſet illi haud dubiè talis nuncius luctuoſus, ſed toleratu facilior. *Sab. lib.* 10. *cap.* 5.

Cùm Amazones ob raptam Antiopem Reginam bello Athenienſis laceſſiſſent, à Theſeo ſuperatæ ſunt: cumque earum multæ in prælio cecidiſſent, Hyppolitæ Antiopes ſoror, cui fæminarum ille parebat exercitus, Megara cum paucis aufugit. Ibi cùm re malè geſta animum deſpondiſſet, præſertim quòd ſe Themiſcyram in patriam ſuam redire poſſe deſperaret, præ animi angore è vita exceſſit: ſepulta verò apud Megarenſes, ejuſque monimentum Amazonici clypei formam præ ſe fert. *Pauſan. in Attic.*

Antiochus Epiphanes, è Perſide fugatus, cùm Lyſiam quoque ducem à Judæis victum cognoviſſet, mœrore animi in varios morbos incidens periit. 1. *Macb.* 6. *& Ioſeph. lib.* 12. *cap.* 13.

Juſtinus minor ex clade Perſica tantam accepit triſtitiam ac mœrorem, ut in mentis exceſſum inciderit, ac phreneſi correptus, tertiodecimo imperii anno diem extremum clauſerit, ſuperſtite Tiberio, quem adoptaverat. *Cuſp.*

Donaldus II. Scotorum Rex non expectatis copiis contra Donaldum, qui Hebridum inſularum tyrann idem occupaverat, profectus, in Moravia victus, tertia die poſt non tam vulnere, quàm mœrore extinctus eſt primo regni ſui anno. *H. Boeth. lib.* 6.

Philippum Vicecomitem mortuum ferunt dolore animi, cùm intellexiſſet Franciſcum filium, quem in Piceno cum exercitu reliquerat Card. Firmano Legato, à Franciſco Sfortia ſuperatum. *Plat. in Eugen.* 4.

Urbem non expugnatam.

Victor Capellus, Venetæ claſſis præfectus, cùm Patras Achajæ urbem bis tentaſſet, bis magnam cladem à Turcis accepiſſet, adeò dolore indulſit ob rem infeliciter geſtam, ut non multò poſt ſedens repentè expiraverit. *Sabell. lib.* 6. *En.* 10. *& lib.* 8. *Dec.* 3.

Urſatus Juſtinianus Venetæ claſſis præfectus, cùm Mitylenem bis fruſtra oppugnaſſet circa annum 1458. quinque hominum millibus amiſſis, reliquiſque magna ex parte ſauciis, rei malè geſtæ conſcientia in Methone præ dolore expiravit. *Sab. lib.* 8. *Dec.* 3.

Cùm Scanderbechus Albaniæ præfectus, ab Amurate II. Turcar. tyranno, cui aliàs inſervierat, defeciſſet, Amurates ipſe maximo excercitu, ac Mahomete etiam proprio filio ſecum ducto, Crojam venit, atque urbem ipſam diù machinis bellicis impetivit. Verùm cùm ejus capiendæ nulla facultas daretur, amovit quidem inde caſtra: ſed tantùm dolorem, vel potius rabiem, ex ea re contraxit, ut mala valetudine correptus, Adrianopoli demùm è vita exceſſerit, anno ab inſtaurata Salute M. CCCC. L. *Iovius in vita Amuratis.*

Urbem vaſtatam.

Benedictus I. Pp. propter dolorem animi, quam ex vaſtatione Rom. urbis à Longobardis facta, acceperat, periit, ann. Dom. 582. *Plat. teſtis.*

Urbem amiſſam.

Urbanus III. Pontifex, captis à Saladino Hieroſolymis, Venetias comparandæ claſſis gratia proficiſcens, dolore animi,

mi, quem ex calamitate Chriſtianorum acceperat, Ferrariæ in itinere moritur, pontificatus ſui anno 1. menſe X. die XXV. *Plat. & Volat. lib.* 22. *Anthrop.*

Nicolaus V. Pp. ann. Chriſti 1455. obiit mœrore animi ob Conſtantinopolim à Turcis captam. *Plat.*

Poperanus Gallus, cùm Averſa à Cæſar. Caroli V. militibus caperetur, cogitatione defixis in cœlum oculis obſtupeſcens, acerbiſſimoque dolore perculſus, in veſtigio concidit, cùm rigerent adhuc oculi, nec ullis fomentis ei exanimato, vita ſubito deliquio erepta, reſtitui poſſet. *Jovius lib.* 26. *Hiſt.*

Accuſationem.

Trivultius Max. Imper. qui tot victorias Gallis Regibus ſpectata virtute peperit, accuſante Odetto Foiſſejo Lotrechio, ad dicendam cauſam media hyeme in Galliam vocatus, concepto ingenti animi dolore apud Carnutes obiit. *Jovius in Leone X. lib.* 4.

Damnationem.

Fama eſt, Licinium Macrum, & ſuis prævalidum opibus, & M. Craſſi auxilio ſubnixum, ad tribunal Ciceronis Prætoris repetundarum fuiſſe poſtulatum. Hunc iſta fretum potentia ſtudio, dum judices adhuc ſententias ferunt, domum reverſum illicò comam totondiſſe, ac ſumpta toga candida, quaſi foret abſolutus, redire ad forum parantem, cùm Craſſus ad veſtibulum ei occurriſſet, & cunctis damnatum renunciaſſet ſententiis, recepiſſe ſe intrò: mox decubuiſſe, ac vitam depoſuiſſe. Fuit Ciceroni ea res honori, quod accuratè ſortitus eſſet judices. *Plut. in Cicerone.*

Exilium inductum.

Hermolaus Barbarus, Franciſci Barbari ex fratre nepos, ætate florida Romæ ex animi dolore deceſſit, quòd orator à Venetis miſſus, præter auctoritatem ſenatus, Patriarcha Aquilejenſis ab Innocentio fuerat creatus, ac propterea contumax, & exul à ſuis judicatus. *Volat. lib.* 21. *Antrop.*

Captivitatem.

Leo V. Pp. quadrageſimo ſui Pontificatus die à Chryſtophoro competitore captus, animi mœrore extinctus eſt: videns nimirum, à ſuo domeſtico, quem omnis generis officiis, & dignitatibus ornarat, ut velut lupum in domo ſua foverat, eam ſibi referri gratiam. An. Chr. 905. *Plat. & Nauclerus.*

Turcę, victo Michaelis Comneni Palæologi Imp. exercitu prædam quàm maximam virorum, mulierum earum rerum, quæ à viris expeditis ferri queunt, coegerant, & inter ſe diviſerant. Inter cætera autem fuerunt & duæ adoleſcentulæ Sorores, quæ cùm divellendæ eſſent, quòd non eidem Domino ſorte obvenerant, altera alteram intuens, cùm lachrymis, ejulatu, planctu omnia compleviſſent, in mutuo denique complexu expirarunt: quaſi natura rerum corpora non prius, quàm animas ſeparari pateretur. *Gregoras lib.* 5.

Dignitatis, Magiſtratus repulſam.

P. Rutilius conſulatus repulſam tam ægrè tulit, ut eam ob cauſam repentinam mortem incurrerit. *Guido Bitur.*

Cæſo à Moguntinis Arnoldo Epiſcopo Moguntino tyranno, à plebe eligitur Rudolphus, cognomine Cobelauch. Is ad pallii, & reliquarum dignitatum impetrationem ſacrilegia quædam committenda eſſe exiſtimabat. Hanc ob cauſam jactabantur voces illæ: Quid theſaurus ille nimius Eccleſiæ prodeſſet? quid tot calices tanto pondere, ut ad uſum apti non eſſent? Amputavit igitur brachium de magna, & gravi illa cruce Moguntina, ſeque itineri Italico gravis ære, atque argento commiſit. At quia parum ſe gratum futurum ob iſtiuſmodi rapinam, Pontifici, apud quem jam ea erant depoſita, intelligebat, animi doloribus confectus in via obiit. *Conrad. in Chronico Moguntiaco.*

Alfonſus X. Caſtulonenſis Rex Ferdinandi primogeniti morte, & repulſa Electorum, qui ejus loco Rodolfum Habſpurgenſem Imper. elegerant, maximè verò filii Sanctii ſcelere, qui in ejus abſentia regnum occuparat, patremque redeuntem recipere noluerat, turbatus Hiſpali præ mœrore obiit. *Cuſp.*

Dignitatis, Magiſtratus amiſſionem, dejectionem.

Franciſcus Foſcarus Princeps, ſub quo longè, latèque promoti erant Veneti imperii fines, quod tum publica felicitate, tum diuturno illius principatu, prudentique adminiſtratione contigit, cùm annis quatuor ac triginta, & ampliùs Reip. præfuiſſet, eſſetque jam nonagenarius, nec ob decrepitam ætatem publicis muneribus omnino vacare poſſet: Paſchalis Maripetrus illi adhuc viventi ſurrogatus eſt. Poſitis itaque ſummi Magiſtratus inſignibus, atque in ordinem redactus (quia generoſus ille animi vigor in fœto corpore nondum erat extinctus) poſt novi principis creationem pauciſſimis diebus expiravit. Decreto Patrum inſignia, quæ vivo adempta fuerant, defuncto ſunt reſtituta: ducaria pomparia ad ædem Minorum elatus eſt: atque ita accidit, ut princeps principem extulerit: quod poſt mortem collegæ in principatu cooptandi è Republ. ſublatum, nunquam ad eam diem acciderat. *Sab. l.* 8. *Dec.* 3.

Regni æmulationem.

Geſſerat imperium Conſtantius Arianus per annos vigintiquinque, cùm non multò ante imperii ſui finem Julianus, quòd contra Barbaros feliciter pugnaſſet, & victor evaſiſſet, à militibus Imperator creatus eſſet. Ex qua re in ſollicitudinem, & periculum Conſtantius incidit, adeò ut exitium ſuum quaſi præſagiens ipſe ſibi, baptizari ab Euzojo Orthodoxo cuperet, & ad bellum adverſùs Julianum egreſſus, inter Cappadociam, & Ciliciam apoplexia (ut *Socrat.* ſcripſit *lib.* 2. *cap.* 46.) ex mœrore contracta, ſeu, ut Romani de eo ſcriptores indicarunt, febri acerrima, & pervigili ex dolore, impatientia, & indignatione contracta, in Mopſi viculo obierit. *Hieronymus in Epitaphio Nepotiani.*

Regni amiſſionem.

Conſtantin. VI. Imp. Conſtantinopolitanus cum matre Irene peregrè profectus, nuncio accepto, natum ſibi filium, matre relicta feſtinavit Conſtantinopolim. Mater filium Iconomachum exoſa, de tollendo eo, & occupando imperio cum ducibus ejus clandeſtina conſilia inivit. Qui conſentientes, dum filium nuper natum pater infelix lugeret, feſtinant in Regiam, ſolum capiunt, & oculos ei effodiunt. Conſtantinus maternæ contumeliæ impatiens, præ luctu, & mœrore expiravit. *P. Diac. Sigeb. & Zonar.*

Joannes Anglorum Rex exutus à Ludovico Philippi Gallorum Regis F. ex mœrore animi in febrem incidit, qua expiravit. *Polyd. lib.* 15.

Henricum Superbum Bavariæ, & Saxon. Ducem, Lotharii Imper. generum, cùm Conrado III. Imp. rebellis, & propterea ab illo proſcriptus eſſet, ſcribunt quidam ex animi mœrore miſerabiliter mortuum, quòd ex amicis, & nobilibus omnibus quos amaverat, quatuor tantùm habuerit, quibus confidere potuit, cùm alii omnes ab eo defeciſſent, qui paulò ante à Dania uſque in Siciliam, hoc eſt, à mari ad mare longè, latèque imperitaverat. *Cuſp.*

Mahometes Rex Malacenſis in India ab alfonſo Albuquercio Luſitano an. 1510. regno exutus, dolore nimio excruciatus obiit. *Oſor. lib.* 8. *rer. Em.*

Legationem irritam.

Dantes Florentinus, Poeta in ſua lingua omnium clariſſimus, cùm ſua tempeſtate bellum Veneti Guidoni Poletano (ad quem profectus erat) moverent, ille orator miſſus de pace, re infecta, ex animi dolore, uti exiſtimatur, extinctus eſt. *Volat. lib.* 21. *Antrop.*

Conjugum improbitatem.

Philomela, & progne ſorores, Pandionis filiæ, cùm Athenas confugiſſent, præ luctu, & mœrore, ob ea, quæ & paſſæ fuerant, & fecerant, contabuerunt. Vulgatam certè fabulam Philomelam in luſciniam, in hirundinem Prognem uxorem mutatam, ex eo exiſtimo, quòd avis utraque miſerabiles, & luctuoſos cantus edat. *Pauſ. in Atticis.*

Lepidus conſul, qui poſt Syllæ obitum bella civilia de integro excitavit, & Marianis favit, à Cn. Pompejo Italia ejectus profugit in Sardiniam, ubi morbo correptus expiravit, fractus animo, ob non res perditas, ut autumant: ſed cùm eſſet nactus Epiſtolium, ex quo ſtuprum uxoris comperit. *Plut. in Pomp.*

Serena Diocletiani uxor, dolore martyrum à marito interfectorum in febrem incidit, qua extincta eſt.

Conjugum alienationem, Repudium.

Catharina Henrici IIX. Anglorum Regis uxor, mœrore ob repudium mortua, litteris priùs ſcriptis, quibus injuriam ſibi factam Chriſtiano animo Regi ignovit. *Polyd. lib.* 27. *& Surius.*

Conjugum mortem.

Alexandri à Philoctete interfecti funus ad Oenonem, quæ ei ante raptus Helenæ nupſerat, neceſſarii pertulerunt. Illa viſo Alexandri cadavere obſtupeſcens, paulatim per mœrorem deficiente animo, concidit, atque ita uno, eodemque funere cum Alexandro condita fuit. *Dictyſ. lib.* 4.

Julia, C. Cæſar. F. Pompei uxor, cùm ædilitiis Comitiis mariti ſui veſtem cruore reſperſam è campo domum relatam vidiſſet, territa metu, ne qua vis ei eſſet illata, exanimis concidit: partumque utero conceptum ſubita animi conſternatione, & gravi dolore corporis ejicere coacta eſt: atque ita expiravit. *Val. Max. lib. 4. cap. 6. & Plut. in Pomp.*

Livia Druſilla, Auguſti uxor, eo ventris profluvio Nolæ abſumpto, præ mœrore non multò poſt expiravit. *Guido. Bituricenſis.*

Irene audita Philippi Imp. mariti nece, præ dolore exanimata cecidit, & abortum fecit, in arce quadam, brevique diem ultimum clauſit, in Monaſterio Loricenſi honeſtiſſimè ſepulta. *Cuſp. in Philippo.*

Margarita Scotorum, Regina, Malcolmi mariti cæde audita, cùm tabe laboraret, quatriduum tantùm ſupervixit. *H. Boeth. lib. 12.*

Liberorum ſcelera.

Severus Imp. ſuſcepta expeditione Britannica, Getam, & Antoninum filios ſecum duxit. Antoninus fratri, & patri obtrectans, Severum patrem coegit mœrore magis, quàm morbo conſumi. Qui Eboraci in Britannia jam ſenex morbo extinctus eſt. *Spartianus.*

Henricus IV. Imp. ob impietatem filii Henrici V. à quo regno perfidè, & aſtutè exutus fuerat, Leodii animi mœrore obiit. *Cuſp.*

Candianus Venetorum Dux ex tribus filiis medium Petrum ſibi collegam cooptavit. Is non multò poſt in tantam provectus eſt inſolentiam, ut patris conſilia aſpernatus, facinoroſos aliquot homines ad apertam ſeditionem in civitate movendam ſollicitare ſit auſus. Ob quam temeritatem ab optimatibus in perpetuum exilium miſſus fuit, dempta omni ſpe reſtituendi imperii. Exul ad Guidonem Berengarii F. Ravennam veniens, à Berengario impetravit, ut Venetos hoſtiliter inſectari liceret. Inſtructus itaque ſex navibus, aliquot Venetas naves circa Ravennæ litora oppreſſit. Quo ſcelere ita pater affectus dicitur, ut mœrore, & ægritudine nimia intra paucos dies expiraverit. *Sab. lib. 3. En. 1.*

Henricus II. Anglorum Rex, Adelam Ludovici Gallorum Regis filiam jampridem Ricardo filio deſponſam, multis verborum illecebris ad ſtuprum ſollicitavit, ejuſque virginitatem, uti rumor erat, violavit: Ricardoque filio eam ſibi dari petenti tradere noluit. Quo commotus filius, ad Philippum Francorum Regem Adelæ fratrem ſe contulit, quem non multò poſt Joannes frater ſecutus eſt, Maximaque pars militum cum illis ad hoſtem defecit. Quæ res tantùm doloris Henrico inuſſit, ut ſtatim ex mœrore animi ægrotare incipiens, non multò poſt vitam finierit. *Polyd. lib. 13. & 14. Ludovic. Vives de Officio mariti.*

Liberos captos.

Jacobus Stuartus Roberti III. Regis Scotiæ unicus filius, duodecim natus annos, à Patre in Gallias miſſus, ut apud principes Francos, mores, & linguam gentis addiſceret, fortè in naves Anglicas incidens capitur. Robertus pater cœpit ob eum caſum repentè frangi, quòd filium jam pro perdito haberet, atque ita cadere, ut nulla res eum ad æquitatem animi potuerit extollere, ſed brevi poſt è vita migravit. *Polyd. lib. 21. hiſt. Angl.*

Liberorum mortem.

Adraſtus cùm exercitum à Thebarum expugnatione domum reduceret, Megaris mœrore propter filii Ægialei interitum obiit, ibique ſepultus eſt. *Pauſ. in Att.*

Philippus Macedonum Rex ob interfectum à ſe injuſtè, inſtinctu Perſei F. filium Demetrium, morte periit. *Sab. lib. 8. En. 5.*

Edovardus III. Anglorum Rex amiſſo filio Edovardo, ſummæ virtutis viro, mœrore paulò poſt interiit. *Polyd. lib. 19.*

In obſidione Budenſi, ann. 1540. cùm Germani equites ad oſtentandam virtutem ex adverſa acie parem ſibi eum, qui armis, ac inſignibus conſpicuus obſervaretur, ad ſingulares concurſus provocarent: Raiſciaci Suevi inter Germanos Ducis inſignis Filius, adoleſcens impiger, cùm ignaro patre in aciem prodiiſſet, ſtrenuèque decertans à cunctis vel ignotus effusè laudaretur, priùs quàm ſe explicaret, à circumfuſis hoſtibus interfectus eſt. Raiſciacus ignarus ſuæ ſortis, filiumque fuiſſe neſciens: Omni, inquit, laude perornandus videtur hic quiſquis ſit equitum longè fortiſſimus, ac omnino publici funeris honore tumulandus. Id cùm ab omnibus probaretur, cadaver filii ad patrem relatum eſt. Quo agnito, in patre repentinus dolor profundius ad vitalia pervaſit: atque ille paulò poſt, cùm rigentibus oculis ſtetiſſet, nihil effatus, interiit. *Jovius lib. 39. Hiſt.*

Generis interitum.

Zethus Amphionis frater, Thebanorum Rex, cùm fratris ſtirpem omnem peſtilentia deletam, filium autem ſuum unicum à matre ob noxam quampiam peremptum videret, animi ægritudine contabuit, quòd multis laboribus partum regnum nullis hæredibus relinqueret. *Pauſ. in Bœot.*

In Patrenſi luco duo ſunt Serapidis templa, in quorum altero Ægypti Beli filii ſepulchrum. Ægyptium Aroen veniſſe tradunt Patrenſes, filiorum l. à filiabus Danai interfectorum luctu confectum, cum ipſum Argorum nomen exhorreſceret, & in primis à Danao fratre ſibi plurimùm metueret. *Pauſ. in Achaicis.*

Generi mortem.

Alexandri Magni interitus fama ad Darii matrem Siſyngambem delata, abſciſſa veſte, qua utebatur, lugubrem ſumpſit, humique ſeſe præ nimio dolore afflixit, & quæ patrem, & octoginta fratres uno die ab Ocho Regum ſæviſſimo cæſos vidit, parque tanto fuit dolori, quæ Dario ampliſſimi imperii faſtigio dejecto, & extincto ſuperfuit, genero, quem magis quàm filium amavit, eſſe non potuit. Enimverò nepotem, ac neptem averſata, quæ Ephæſtioni nupſerat (Satyra enim filia, eademque Alexandri conjux, aberat) luce, & cibo pertinaciter abſtinuit, donec quinto die vita deceſſit. *Sab. lib. 6. Enn. 4. ex Diod. lib. 17.*

Sociorum perfidiam, deſertionem, ignaviam.

Balduinus IV. Hieroſolymorum Rex elephantiaſi laborans. Saladini Ægyptii armis oppreſſus, cùm fruſtra ad Occiduos principes legatos pro auxilio miſiſſet, deſignato priùs ſucceſſore Balduino V. nepote, mœrore, & anguſtia magis, quàm dolore, aut acerbitate morbi extinctus eſt, anno ætatis ſuæ vigeſimoquinto, regni verò 12. qui erat Chriſti 1185. *Tyrius.*

Pius II. Pontifex bello adversùs Turcas ſuſcepto, cùm Anconæ Chriſtianorum principum auxilia, ſolis Venetis exceptis, fruſtrà expectaſſet, mœrore ob. an. Sal. 1464. *Brut. lib. 1. hiſt. Florent. & Vol. lib. 22. Antrop.*

Nicolaus IV. Pontifex tædio animi (ut quidam putant) quòd Chriſtianos principes ad expeditionem contra Saracenos permovere non poſſet, amiſſa jam Ptolemaide, Romæ apud Sanctam Mariam Maorem, Pontificatus ſui anno quarto, moritur. *Plat.*

TIMORE, TERRORE.

Nabal Ziphæus, cùm Davidi cum ſuis in montanis oberranti commentum contumelioſè ebrius denegaſſet, ejuſque rei in poſtera die ab Abigael commonefierent: territus, tanta animi defectione, & corporis ſaxeo quodam ſtupore diriguit, ut intra decem dies interierit. *Reg. 26.*

Gorgo vetula metu fulminis exanimata. De qua ſic Antipater *in 1. Epigrammatum:*

Χειμέριον καίουσαν ἐφ' ἑστίῃ ἄνθρακα, γοργώ,
τὴν γρηῢν βροντῆς ἐξεπάταξε φόβος.
πνεύμονα δὲ ψυχθεῖσα, κατήμυσεν, ἦ ἄρα μέσση
γήρως κ̀ θανάτου κειμένη πρόφασις.

Cùm Cn. Pompejus in comitiis ædilitiis ſacrificaturus, hoſtiæ reſpergeretur ſanguine, & infectas cruore veſtes domum remitteret: Julia ejus uxor cruentas veſtes intuita, ſuſpicata Pompejo violentas manus injectas, præ timore expiravit eveſtigiò. *Plut. in Pomp.*

C. Marius VII. conſul, cùm fama eſſet, L. Syllam, rebus proſperè provincia geſtis contra Mithridatem, de reditu ad urbem cogitare: reputans ſecum, quantum periculi inſtaret ſibi, & collegæ Cinnæ, à ferociſſimo hoſte, atque eodem victore, variis curis anxius, nocturniſque terroribus inquietatus, in languorem incidit, quo ſeptem dierum ſpatio conflictatus periit, ut C. Piſo prodidit. *Sab. lib. 3. Enn. 6.*

Theodoricus Oſtrogothus, Joanne Pp. in carcere extincto, Symmachum, & Boetium ejus generum aſſervatos invaſit, atque eorũ utriq; caput deſecari crudeliſſimè juſſit: cujus temeritatis poſt brevi, ſed fruſtrà, pœnituit. Nam paucis poſt diebus cœnans, cùm ingentis piſcis caput à miniſtris appoſitum aſpexiſſet, caput Symmachi ſibi videri viſus eſt, eminentibus inferiore è labio dentibus, & torvum oculis intuentibus furibundè ſibi, atq; aſperè minitari. Cujus ſpectaculi fœditate perculſus, ſubito horrore correptus eſt. Itaque in cubiculum regreſſus lecto decubuit: atque adhibito Elpidio medico, re expoſita, patratum à ſe in Symmachum, Boeciumque facinus acerbè flere inſtituit: tantumque ex ea re dolorem concepit, ut morbum propterea exitialem contraxerit. Ex quo cùm ſe moriturum videret, Gothos Comites, atque optimates ad ſe accivit, ac, præſentibus eis, Athalaricum, Amalaſuenta filia, & Eutharico pridem mortuo natum, regem declaravit, eoſque palàm ipſum tanquam Regem colere juſſit: & ut Senatum, populumque Romanum amarent, atque Imperatoris amicitiam, gratiamque foverent, admonuit: cujus auctoritatem illi non ſolùm verbis, ſed etiam Sacramento probarunt, neque ita multò poſt animam efflavit, die nonageſimo octavo poſt Joann. Pp. in carcere mortuum. *Sigon. lib. 16. Imp. occid.*

An. 840. ſole prodigioſè obſcurato, Ludovic. Pius Imper. tantam ex ea re animo triſtitiam contraxit, ut in pernicioſum morbum inciderit. Itaque Vormacia, ubi conventum inſtituerat, ad Inſulam Moguntiæ proximam ſe devehi juſſit, atque ibi ſolemnibus præſente fratre Drogono Archiepiſc. ritu Chriſtiano peractis, 12. Cal. Julii obiit. *Sigon. lib. 4. regni Ital.*

Bello, quod Orchanes Turcarum Dux Andronico Juniori, Imp. fecit, cùm exercitus noctu turbaretur, multi Militum præ timore ſtantes expirarunt. *Gregoras lib. 9.*

IRA, INDIGNATIONE.

Nerva Imp. imbecilli aliàs ſtomacho, ut qui ſæpè cibum rejectarit, dum iratus, voce quàm maxima, contra quendam, Regulum nomine, inclamaret, ſudore correptus, & febre, morte ſublatus eſt, anno ætat. IIX. & LX. *Cuſp.*

Quadorum legati ad pacem petendam miſſi, ſeſe ad Valentiniani I. Imp. Brigetione Pannoniæ ſuperioris urbe degentis, genua projecerunt. Duobus inde modis interrogatos reſponſo ſuo Valentiniani iracundiam accendiſſe, fama eſt. Ammianus, rogatus, cur ad arma deſcendiſſent, publico id conſilio factum negaſſe, ac plebem munitione extructa offenſam, reſpondiſſe, ſcribit. Socrates, & reliqui omnes, cùm legatorum habitum ſordidum, deſpectumque notaſſet, quæſiſſe narrant, nunquid Sarmatæ omnes ejuſmodi eſſent. Cùmque legati reſpondiſſent, Samartarum optimos, atque ornatiſſ. ad illum ex conſuetudine miſſos eſſe: ipſum graviori ira accenſum exclamaſſe, malè ſecum eſſe actum, quòd ſe imperante, gens tam ſordida finibus ſuis nollet eſſe contenta. Utut ſit, Valentinianus ira vehementi ſuccenſus, atque inter exordia reſpondendi tumidus, gentem primùm objurgare acriùs tanquam beneficiorum immemorem cœpit. Inde paulatim lenitus tanquam telo aliquo ictus, vocem ſimul, ac vires amiſit, ac lethali ſudore perfuſus ad terram labebatur, ſed miniſtri confeſtim eum arripuerunt, atque inter brachia in cubiculum deduxerunt. Ibi in lecto conſtitutus, cunctos aſtantes cognoſcebat: nam cubicularii veriti, ne veneno necatus diceretur, multos propere intromiſerant, & cùm vena laxanda eſſet, medicus nullus reperiebatur, quòd eos ipſe ad curandum militem peſtilentia laborantem miſiſſet: unus demùm inventus, cùm venam ſemel, atque iterùm pupugiſſet, ne guttam quidem elicere ſanguinis potuit, ulceribus nimio calore combuſtis. Hoc ita Ammiano ſcribente, retulimus. Alii omnes infinitam ſanguinis vomuiſſe copiam tradunt. Utcunque, cùm finem adeſſe vitæ cerneret, quædam dicere, ac mandare voluit: ſed præ ſingultu, ſtridore dentium, & motu brachiorum non potuit: ac mox morbi magnitudine victus, liventibuſque maculis interfuſus, an. 375. 15. Cal. Decemb. expiravit, annum agens ætatis LV. Imperii verò XII. *Sigon. lib. 7. Imp. occid.*

Venceslaus Boemorum Rex ira in pocillatorem ſuum percitus, cùm interficere eum ſuis manibus vellet, paralyſi affectus concidit, & paucis diebus poſteà vita exceſſit. *Cromer. lib. 18.*

Victor Piſanus Venetorum claſſis præfectus, victoriis clarus, cùm legatus ejus decem Genuenſium triremes in portu Sipontino repertas per ignaviam fugere permiſiſſet, ab iracundia in febrim incidens, obiit. Carolus Zenus ei ſuffectus eſt. Ann. Sal. 1380. *Blond. lib. 20. Dec. 2.*

Prœtor Eubœæ ab Icario ſuo quondam ſervo captus, ſub Michaele Comneno Palæologo Regiam ingreſſus, & ut captivum decet, ante fores ſtans, cùm Imperatorem in ſolio conſidentem, Senatumque ſplendido habitu circumſtantem, Icarium verò ornata veſte, & inſolenti geſtu introeuntem, ex euntem, & Imperatori in aurem inſuſurrantem conſpexiſſet, abrupta ſtatim vita pronus humi concidit, iniquæ fortunæ violentiam peroſus. *Gregoras lib. 4.*

Matthias Corvinus Ungariæ Rex, podagricis doloribus exhauſtus, paralyſi utriuſque cruris Viennæ prehenſus, ipſo Palmarum die, cùm in ſecunda menſa ficus recentes ex Italia allatas poſceret, eaſque ab aulicis conſumptas audiret, præ iracundia apoplecticus corruit, & ſequenti die expiravit, anno ætatis 47. Sal. 1490. *Joach. Cureus in Sileſiæ Annalibus.*

LABORE.

Pugnæ.

Robertus Malateſta Venetorum copias ducens contra Ferdinandum Aragonium, pro Sixto IV. Pont. in Veliterno feliciter pugnans, ex nimio labore febri correptus periit, Romæque ſepultus eſt. *Sab. lib. 7. En. 10.*

Barth. Livianus Dux clariſſ. qui Venetorum exercitum diu ductavit, cùm prælio ad Mediolanum à Franciſco Rege contra Helvetios commiſſo, tenue corpuſculum ſub juſto armorum pondere plurimum exercuiſſet, equeſtrique agitatione viſcera penitus in herniam abiiſſent, incredibiles dolorum cruciatus ſuſtinere non potuit: paucisque diebus apud Ghedas extinctus eſt. *Sab. ſupplem. lib. 5. ex Iovio.*

Venationis.

Henricus VI. Imp. ann. 1197. per autumnum morbum ex labore venationis Meſſanæ contraxit. Quo ingraveſcente, in feſto S. Michaelis deceſſit è vita. Cadaver Panormum devectum ſepulturæ mandatum eſt. *Sigon. l. 15. regni Ital.*

Venceslaus III. Boemorum Rex in receſſu villæ, tertio lapide à Praga, venationi intempeſtivè incumbens morbum contraxit, è quo intra paucos dies Pragæ periit. *Dubr. l. 16.*

Curſus.

Pugnam Marathoniam denunciavit, ut Ponticus Heraclides tradit, Traſippus Froenſis. Plerique Ericlem memorant currentem in armis adhuc ex acie calidum, ac concidentem in janua primorum, hoc tantùm dixiſſe, Saluete, nos ſalvi ſumus, mox expiraſſe. *Plut. de gloria Athen.*

Victis ad Platæas Perſis, Græcis de ſacrificio conſulentibus reſpondit Apollo, Jovi Liberatori erigerent aram: at ſacra ne antè facerent, quàm extincto per totam regionem igne per barbaros polluto, purum Delphis ex communi foco accendiſſent. Itaque ex Platæenſibus pollicitus Euchidas, quàm ocyſſimè fieri poſſet, allaturum ſe à Deo ignem, Delphos profectus eſt, luſtratoque corpore, & lympha aſperſo, laurea coronatus, ignem ſumpſit ex ara, currenſque retro Platæas contendit, & ante Solis occaſum reverſus eſt mille ſtadiorum iter emenſus. Salutatis civibus, ubi ignem tradidit, concidit confeſtim, & paulò poſt expiravit. *Plut. in Ariſtide.*

Pilæ.

Alexander Imp. Leoni V. frater, frequentibus deditus conviviis, & ebrietatibus, cùm nunquam prandium niſi poſt balneum caperet, immoderatiſſimè quondam jentatus, ludo pilæ ſe voluit exercere, corpus extendendo: ſtatim equum aſcendit, ac venam rupit; qua ſanguis è naribus, ac pudendis toto die effluxit, ac ſic enormi fluxu extinctus eſt: tutores relinquens nepoti Conſtantino Leon. V. filio, ac regni moderatores. *Cuſp.*

Itineris.

Movente contra Darium Alexandro, Statyra Darii uxor captiva, quæ agmen ſequebatur, continui itineris labore, animique ægritudine extincta. *Plut.* dolore partus ait inter ſocrus, & filiarum manus expiraſſe. *Sab. l. 5. En. 4.*

Uratislai Boemiæ poſt principis prima Uxor, à Spitigneo II. mariti fratre Olemucii capta, ſed interceſſione Severi Epiſcopi Pragenſis liberata, dum ad maritum exulem in Hungariam gravida feſtinat, ex nimia agitatione abortivit, & triduo poſt periit. *Dubr. l. 8.*

CASU EX ALTO.

☞ *Vide locum de CASU.*

CLAMORE.

Q. Hortenſius orator, cùm cauſas in foro ageret, in media oratione clamore diſruptus eſt. *Q. Serenus.*

—— ſic eſt Hortenſius olim
Abſumptus: cauſis etenim confectus agendis
Obticuit cùm vox Domino vivente periret,
Et nondum extincti moreretur lingua palati.

Volat. l. 27. Anthropolog.

Cùm Scythæ incurſionem in fines Romanorum feciſſent, magnamque prædam abegiſſent: Imp. Valentinianus iratus, & vehementius vociferans, vocis inſtrumentis ruptis obiit. *Suidas.*

ÆTATE, SENIO

A ☞ *Conſule Tit. Longævorum, quatenus mortis quoque mentionem continet.*

Platonem, Philoſophorum haud dubiè principem, ſunt, qui dicant in celebrandis amici nuptiis, cùm quietus decumberet, animam derepentè exhalaſſe. Nonnulli in morbum incidiſſe, quem à corruptione pediculorum phthiriaſin vocant. *Plinius.*

VENERE.

Levitæ Uxor nimio ſtupro necata à Gabaenſibus. *Iudicum c.19. & 20.*

Minois Cretæ Regis concubitu moriebantur Mulieres, cùm ſerpentes, & ſcorpios & ſcolopendras parerent, *Plutarch. in Paral. Ovid. l.7. Metamorph.*

Duo equeſtris Ordinis Romæ in eodem pantomimo Mytheco forma præcellente æternum periere. *Plin. lib. 7. cap. 53.*

Attila Hunnorum Rex Hildiconis Bactrianorum Regis filiæ pulcherrimæ amore ſuccenſus, prima nuptiarum nocte, ex venere defatigatus, inter dormiendum, ſupino corpore, profluvio ſanguinis è naribus ſuffocatus interiit. Experrecta mulier, virum amplexu repetens, ex- B tinctum, algentemque invenit. Sic qui alienum ſanguinem tantopere anhelarat, proprio interiit. *Bonfin. lib. 7. Decad. 1.*

Theodoretus, Clotharii Francorum Regis filius major, omni muliere corruptior in complexu pellicum maturè diſceſſit. *Ritius l.1. Francorum Regum.*

Ladislaus Rex Apuliæ, dum Florentiam pergit, in itinere, in coitu mulieris, quæ medicatam opera Florentinorum vulvam habuit, extinctus eſt. *Volat. lib.22. Anthrop.*

Inter tres filios Mahometis Turcar. Imp. Muſtapha juvenis præcipuæ indolis primus extitit. Is in prælio contra Uſumcaſſanum egregiè ſe geſſit: Joſephum Perſianum Ducem Regis Caramaniæ fautorem in fugam vertit. Cùm hyemaret Iconii venationibus, ac venereis rebus nimium indulgens, in ipſo juventutis flore deceſſit. *Iovius in Bajazete II.*

Avicenna Medicus, & Philoſophus ſummus, venereis maximoperè deditus, cùm corpus ex iis attenuari ſentiret, à purgantibus penitus abſtinuit, de reſolutione virium metuens. Ex collectione autem humorum, cùm in colicam incidiſſet, dum Caſtra Regis ſequitur, & caſtra properè mutanda eſſent, uno die octo clyſteres ſibi iniici curavit. Quorum calore inteſtinis exulceratis, & præſertim cùm fa- C muli pro duabus drachmis apii, ad diſcutiendos flatus præſcripti, quinque ſubieciſſent, in itinere morbo comitiali correptus eſt. Ubi ad ſe rediit, mithridatum ſibi exhiberi curavit. At ſervi improbi, cùm extinctum cuperent Dominum, à quo liberius reprehenſi eſſent, opium medicamento plurimum admiſcuere, ſic ut vix tandem convaluerit. Sed ubi ad venerem reverti cœpit, virium imbecillitate perſpecta, diæta penitus abdicata, obiit, propè ſexagenarius. *Nic. Maſſa in ejus vita, ex Sorzano Arabe.*

Ludovicus XII. Gallorum Rex, cùm pacis cauſa Henrici VIII. Anglorum Regis hoſtis infenſiſſimi ſororem Mariam elegantiſſimam ipſe ætate jam provecta, & multùm anteà nervorum doloribus laceſſitus, uxorem duxiſſet, cùm intemperantius puellaribus complexibus indulſiſſet, in febrim incidit: nec multò poſt invaleſcente etiam profluvio ventris extinctus eſt. *Sab. ſupplem. l.4. ex Iovio.*

Joan Manardus Ferrarienſis, Medicus clariſſimus, decrepitus, & arthritide confectus, juvenculam duxit uxorem, & ex intempeſta venere obiit. *Jovius in Elogiis.*

D BALNEO.

☞ *De iis, qui in Balneo moriuntur, infrà quando de loco Mortis agetur. Hic ipſam per Balneum alterationem factam intelligimus.*

Non paucis fuit balneum exitio, cùm initio non multum mali haberent, niſi quòd non valerent, neque ſuſtinerent illoti cibum guſtare: in quibus Titus Imperator fuit, ut ferunt ii, qui ægro miniſtravere. *Plut. in præceptis ſal.*

CIBO, Esu.

Pullorum.

Boleslaus Brigenſis Dux in Sileſia, cùm in feriis Paſchalibus in una menſa 13. gallinaceos abſumpſiſſet, obiit anno Sal. 1342. *Ioach. Cureus in Sileſiæ annal.*

Caſei.

M. Antoninus Pius Imp. periit anno ſeptuageſimo, cùm Alpinum caſeum in cœna edens avidius, nocte rejectaret, febre correptus: qua tertio die gravatus, ſpiritum reddidit apud Lorium (quod oppidum Ethruriæ eſt, propè Romam 14. lapide, via Aurelia) anno imperii 23. *Cuſp.*

Fructuum in genere. E

Rudolfus Aleberti I. Cæſaris F. Boemorum Rex, oppidum Horaſditium obſidens, ex nimio eſu fructuum æſtivorum fluore ventris correptus erat: cùmque non pateretur ſibi perſuaderi, ut ab obſidione diſcederet, in tabernaculo ex dyſenteria obiit, cùm unum dumtaxat annum in Boemia regnaſſet. *Dubr. lib. 19.*

Ficuum.

Pompejus Columna Card. à Cæſare Carolo V. Neapolitani regni adminiſtrationem ſortitus, poſt comeſtas ficus biferas, quas multa nive refrigerarat, in complexu Auguſtini Niphi philoſophi integris ſenſibus expiravit, anno ætat. 53. *Iovius in ejus vita.*

Perſicorum.

Theognoſti cujuſdam F. ex immodico uſu malorum Perſicorum interiit. De quo *in 1. Græcor. Epigramm.*

Ἐκ φωνίον περσῆ φωνίον φυτὸν ἤγαγε περσεὺς
παιδὶ θεογνώστε θανάτου πρόφασιν.

MELOPEPONUM.

Albertus II. Imper. ex Melopeponum uſu periit, alvi fluvio correptus. *Cuſp.*

Fridericus III. Imp. ex ætate, ac labore, fluxuque veteri in F tibia gangrænam acquiſivit. Nam pede illo ſæpiſſimè clauſtra, foreſque, ac portas omnes fregerat. Quatuor menſibus continuo dolore agitato, tibia ferro aufertur. Die B. Mariæ Virg. ſacro, quam religioſius ſemper conſueverat venerari, ab omni alio cibo abſtinens, octo melones comedit [quibus quatuor occubuerunt Cæſares] inſuper aquam bibens, in ſtomachi incidit dolorem, mox in Lienteriam, & ſic Lincii expiravit, 19. Auguſti, anno ſalutis 1493. ætat. 78. imperii. 53. *Cuſp.*

Sophia Uladiſlai Jagellonis Polonorum Regis uxor, febrim ex Melopeponibus contraxit, & mox paralyſi accedente extincta eſt uno, & quadraginta annis, poſteaquam Uladiſlao Regi nupſerat, exactis, anno Sal. 1461. *Crom. l. 24.*

Fragorum.

Melchior Dux Brunſuicenſis, frater Othonis Neapolitani Regis, ex Tranſylvanis Ducibus, Epiſcopus factus Zvverinenſis, medone venenato Roſtochii hauſto, malè ſe habens, profectus in Butzonua arcem, cruciatu agitatus, fragis ad refrigerium magna copia ingeſtis intumuit, crepuitque medius *Crantz. l.9. Vandal. 9.*

Fungorum.

☞ *Vide Tit. Veneno mortui fungorum.* G

Raparum.

Ladislaus Ungariæ, & Boemiæ Rex, infirmitate incertum unde correptus, diem ſuum obiit. Medici rapas Boemicas, quas ille cupidè eſitabat, toxico fuiſſe infectas, ſuſpicati ſunt. *Crantz. lib. 13. Vand. cap. 36.*

Allii.

Arnulfus Imp. cùm creberrimo allii uſu corpus diſtemperaſſet, tanta vermium ſcaturivit multitudine, ut nulla ope medica curari potuerit. *Crantz. l.3. c.3. Saxoniæ.*

Carnis.

Severus Imp. Eboraci in Britannia, cùm membrorum omnium, maximè pedum, dolorem pati nequiret, veneni vice, quod ei negabatur, cibum gravis, ac plurimæ carnis ſumpſit: quem cùm conficere non poſſet, cruditate periit. *Sex. Aurel.*

Piſcium.

Diogenes Cynicus crudo polypo devorato periit. *Laert.*

Andronicus Senior Imp. decumbens, utebatur teſtaceis propter jejunium illorum dierum. Poſt quæ cùm merum bi- H bendum fuiſſet, illo pro more ſuo ad reſtinguendum fervorem ſanguinis frigida uſus eſt. Ergo ſtatim faſtidio affici, & è ſtomacho, & corde graviter laborare cœpit. Cùm autem jam ſpiritus etiam deficere cerneret, & propter intempeſtam noctem neminem reperiret, qui ſibi divina myſteria impertiretur, ſurrexit, & gratias egit Deo, & pro ſalute animæ ſuæ cum multis lachrymis deprecatus, ſacram Dei genitricis imaginem, quam in ſinu geſtabat, loco divinorum myſteriorum in os inſervit: cumque in lecto conſediſſet, ſtatim, priuſquam diluxiſſet, eſt defunctus. *Gregoras lib. 9.*

Henricus I. Anglorum Rex, leviter ægrotans, muræna, etſi medico vetante, veſci voluit, quòd ejus cibi avidiſſimus eſſet. Inde febre aucta brevi tempore poſt occidit. Calen. Decembr. anno Chriſti 1136. ætat. 67. *Polyd. lib. 11.*

POTU

POTU.

A *Vini.*

Alexandrum Magnum Babylone Ariſtobulus narrat, cùm delirio ex febre teneretur, atque ingenti cruciaretur ſiti, vinum potaſſe, hinc in phreneſim incidiſſe, atque trigeſimo menſis Dæſii die deceſſiſſe. *Plut. in ejus vita.*

Brennus, qui in Gallia expeditionem contra Græcos ſuſcipiendi auctor fuerat, cùm malè apud Delphos pugnaſſet, metu, vel pudore potiùs ultrò hauſto mero poſt accepta vulnera mortem oppetiit. *Pauſ. in Phoc.*

Scribunt nonnulli, Megarenſem Stilponem extremo deficientem ſenio, merum auſiſſe priùs, quo celerior contingeret obitus. *Cel. lib. 28. c. 34. A. L.*

Arceslas Crantoris diſcipulus, & Sciti filius, philoſophus Cyrenaicus perfectiſſimus, ex Pithana Colchica civitate natus, obiit, cùm vinum immoderatè bibiſſet, anno ætatis LXXV. *Volat. lib. 13. c. 4. Anth. & Laert.*

Chryſippus, Cleanthis diſcipulus, 73. anno ætatis, cùm in ſacrificio dulce merum avidius hauſiſſet, aſthmate correptus, quinto poſt die periit. *Laert. in ejus vita.*

Grammaticus quidam Pergami ſingulis diebus balneum petens, unum ex pueri ſecum ducebat, alter domi reli- B cto, qui rem familiarem ſervaret, quæque ad victum forent neceſſaria, provideret. At is vehementiore quandoque correptus ſiti, cùm nec aquæ ſuppeteret copia, vetus vinum largiùs perpotavit: quo factum, ut in reliquum evaſerit vigil: mox febre correptus, cum perpete vigilia oborto delirio, deſiit hominem agere. *Cel. lib. 28. cap. 29. A. L. ex Galeno.*

Andebuntum Anglorum Regem in cœna quandoque tantum vini ſumpſiſſe, ut eo ſuffocatus repentè exceſſerit, aſſerunt.

Scaniæ Epiſcopatus in Dania olim in Ludenſem, & Dalbienſem diviſus fuit. Illi præerat Eginus, huic Henricus. Cæterùm Henrico ob nimium vini potum extincto, in ſceleris pœnam integra dignitas ad Eginum ſobrium rediit, Suenone II. regnante. *Saxo lib. 10.*

Eraſm. in Adagio οἰνάγχη, inquit: Ipſe novi Romę quendam haud vulgariter eruditum, qui hac angina ſeriò periit. Hermicus appellabatur, natione Luſitanus. Correptus erat febricula vir corpore ſupra modum obeſo, & ob id ſpirituoſus, Decumbentem inviſit Chriſtophorus Fiſcherus, patria Anglus. Un'tu, inquit, Hermice, auſcultare medicis meras nugas C præſcribentibus; bono vino rectiùs proluetur hoc malum, ſimulque juſſit adferri vinum Corſicum quadrimum. Propinavit ægroto, jubens bono eſſe animo. Ille perſuaſus hauſit affatim, ac mox intercluſo ſpiritu cœpit animam agere.

Aquę.

Traditum eſt Græcorum monimentis, Argivos, cùm Polynicis filios ſecuti Thebas cepiſſent, dum ad Delphicum Apollinem, cùm reliqua prę da vatem etiam Tireſiam pertraherent, ſitientem illum in via hauſta de Tilphuſa fonte aqua, prope Haliartũ animam ſtatim egiſſe. Eſt ejus ſepulchrum ad ipſum fontem. Vatis filiam Manto ab Argivis Apollini ajunt ſacratam: ſed tranſmiſiſſe eam claſſe, jubente Deo, Colophonem in Joniam, ibique Rhacio Cretenſi nuptam. *Pauſ. in Bœot.*

Henricus VI. Imp. maxima & venationis & aucupii voluptate capiebatur. Cum uxore, & filio Friderico venatum profectus, ex gelido fonte bibens, brevi poſt obiit. *Munſt. in Com.*

Franciſcus Delphinus, Franciſci I. Gallorum Regis F. ſummæ expectationis, anno ſal. 1536. cùm ex nimia jactatione in ludo parvæ pilæ æſtuans, ſudoreque madens, frigidam D intemperanter hauſiſſet, præcordia, viſceraque immodico rigore correpta, extincto penitus innato calore, mortem accerſivere. Non defuere, qui ſuſpicarentur, eum veneno fuiſſe ſublatum. Cujus nefarii criminis repentè reus factus quiddam Sebaſtianus Montecuculus, pœnas dedit, cùm ab equis in compito in diverſa currentibus diſcerperetur. Nonnulli præcipiti judicio eum damnatum ferebant, tanquam inſontem, qui dolore victus inter immania tormenta, ut calamitati ſuæ finem imponeret, ſe reum miſer feciſſet, & auctores tanti facinoris Antonium Levam, & Ferdinandum Gonzagam nominaſſet: qui calumniam à perdito homine impoſitam vix diluerunt. *Iovius.*

Hariadenus Barbaruſſa, à Carolo V. Cæſare regno Tunetano pulſus, cùm fuga ſibi conſuleret, in tranſitu Bagradæ amnis Haydinum Smyrneum, inclyti nominis piratam, deſideravit, cùm is in magno Solis ardore, longoque itinere feſſus, & multo adipe prægravis, cogente ſibi ex profluente avidiùs potando, in ripa expiraſſet. *Iovius lib. 34. Hiſt.*

Philippus Rex Hiſpaniæ, Maximiliani Imp. filius, vena- E tus in Hiſpania cervos, & calore fervens, potu ſitim reſtinguere volens, jecur nimio calore accendit, quo & periit. *Hedio in Chron. Germ.*

Scodrenſes Macedones à Mahometo II. Turcar. Imp. obſeſſi erant, ſumma aquarum inopia, ſitiſque intolerantia brevi poſt deditionem facturi. Cæterùm hoſte præter ſpem abeunte, ſitibundum agmen præceps ad flumen decurrit. Hic multi mortales aquam diù deſideratam adepti, avidiùs ripis procumbentes, nimio aquarum hauſtu obruti, exanimati ſunt. *Sab. lib. 7. En. 10.*

PHARMACO.

☞ *Vide Tit. A Medicis interfecti.*

Gregor. Epiſcop. Antiochenus clariſſimus, ſub Mauricio Imp. & multis ab eo legationibus adhibitus, cùm podagra laboraret, & hermodactyli potionem ſumpſiſſet, obiit. *Nicepb. lib. 18. c. 27.*

Maximilianus I. Rom. Imp. apud Velſium Norici agri oppidum, cùm intempeſtivè pharmacum incertæ poteſtatis adverſus morbum, quem ſibi imminere putarat, hauſiſſet, anno 1519. mortuus eſt, vir præſtantiſſimis corporis, atque animi dotibus inclytus. *Iovius.* F

MORS CONSIDERATA RESPECTU MODI, Quo Agens necem infert.

Nempe

EXUSTIONE.

☞ *Vide Locum, Igne mortui.*

RUINA INTERFECTI.

Montis.

An. 1251. in Burgundia Imperiali, duo invicem montes diſceſſere: vallis amborum media magno ſciſſa hiatu per quinque paſſuum millia. Omnem plebem ruſticam, in ipſa valle, aut montium pede commorantem, aut hiatus abſorpſit, aut ſaxa montibus devoluta peremerunt. *Crantz. lib. 7. Vand. c. 25.*

Antri.

Polydamas athleta tempeſtate ſpeluncam ſubire coactus, nimio, & ſubito incurſu aquæ labefactata ea, ac ruente, ſolus reſtitit, tanquam humeris ſuis totius ruinæ molem ſuſtentaturus. Sed pondere omni corpore humano potentiore preſſus, imbribus petitam latebram dementis fati ſepulchrum habuit. *Val. Max. lib. 9. c. 12. & Pauſ.* G

Templi.

An. 1099. Syracuſis terræmotu concuſſis, primarium templum, dum ſacra tractarentur, corruit: cunctoſque qui ſacris intererant, præter Sacrificantem, & duos diaconos, oppreſſit. *Plat. Herm. Gigas.*

Theatri.

Pratinas Phliaſius, tragicus, cùm fabulas exhiberet, accidit, ut tabulata, quibus Spectatores inſiſtebant, conciderent. Multis ea ruina oppreſſis, theatrum extruxerunt Athenienſes. *Suidas.*

Tranquillus ait, Fidenis theatri ruina duo, & viginti Hominum millia periiſſe, gladiatorio munere. *Sab. l. 10. c. 5. Exempl.*

Turris.

Paulò ante Chriſti paſſionem, Hieroſolymis turris Silo ruina ſua XIIX. Homines oppreſſit. Chriſtus non tam id peccati pœnam, quam futurarum calamitatum omen, niſi reſipiſcerent, eſſe dixit. *Luc. 21.*

Arboris. H

☞ *Vide Tit. Mortis inſtrumenta, quatenus extra corpus conſiſtunt.*

Domus, cameræ, Cœnaculi, Pavimenti.

Samſo captus, apprehendens columnas, quibus tota domus nitebatur, domum ruina diſiecit, in qua circiter tria millia utriuſque ſexus principum Palæſtinorum periere. *Jud. 14. Sab. lib. 7. cap. 4.*

Job ſeptem filii, & tres filiæ, convivia agitantes, ruina domus, à vento vehementiſſimo everſæ, oppreſſi interierunt. *Iob. c. 1.*

Alexandri filii, quos ex Helena ſuſceperat, caſu cameræ extincti ſunt, tres numero, Bunomus, Corinthus, atque Idus, paulò poſt cædem patris, parùm ante Ilii excidium. *Dictys lib. 5.*

Eupolis Niciæ Athenienſis filius, prima nocte nuptiarum à ruina thalami unà cum uxore extinctus eſt. *Ovid. in Ibin.*